Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/dissertationessc00pera

149341
29581
800.
G B, 3
RB312278
Library
of the
University of Toronto

DISSERTATIONES
SCHOLASTICÆ
DE S. JOSEPH

VNIGENITI FILIJ DEI PVTATIVO
PATRI, DEIQVE GENITRICIS
SPONSO DIGNISSIMO:
EIDEM BEATISSIMO PATRIARCHÆ
TVTELARI SVO CONSECRATÆ

A P. ANTONIO DE PERALTA
Societatis JESU Mexicano, & Mexici in
Maximo SS. AA. Petri, & Pauli Collegio
quondam Primario Sacræ Theologiæ
Profeſſore, nunc Superiorum
ſtudiorum Præfecto.

Anno 1729.

MEXICI Typis *Joſephi Bernardi de Hogal*, Impreſſoris librorum apud
Civitatis Palatium.

ILLUSTRISSIMO DOMINO
D$^{RI.}$ D. JOANNI IGNATIO
DE CASTORENA, ET VRSUA,
EPISCOPO IUCATANENSI,
REGIOQUE CONSILIARIO, &c.

ANTONIUS DE PERALTA,
è Societate JESU,

S. D.

TRactatus Scholaſticus de Sancto Joſeph, qui Juſſu tuo conceptus eſt, tuas invo-lat ad manus (Præſul Illuſtriſsime) vt fortunato ex eis partu prorumpat. Quo enim revertantur flumina, niſi vnde exie-

runt?

runt? Aut quo reflectat cryſtallus Luces, niſi vnde deſumpſit? Tu abdicatam multos iam annos cathedram aſcendere, libros evoluere, acuere ſtylum, calamumque iam feſſum arripere, vt difficile perſane argumentum verſaret, ſenem ſexagenarium coegiſti. Quo id factum á te conſilio, non aſſequor: etenim qui plures perpolitos libros (tanta tua eruditio eſt, & copia dicendi) & ſcribere potes, & prælo dare, vt quid opus habes, alios quærere Scriptores? Quæret ne aliunde Sol Lumina, queis Mundum Irradiet? Quæret ne aliunde Nilus aquas, vt ſe ſe de

Ætio-

Æthiopicis Montibus præceps evolvens fæcundet Ægyptum: Quæret ne aliunde Paradiſus flores, & poma, quibus homines alat, ac recreet? Verum iam teneo mentem tuam. Elegantem Sancti Joſeph picturam deſiderabas, & quoniam colores in tabula ſine vmbrarum obſcuritate noctescunt, noctem in obſcuri hominis ingenio, vmbraſque quæſijſti. Enimvero de te ſperari non poterant, niſi Splendores, queis non eſſet integrum abſque vmbris in Imagine lineamenta diſtinguere. Vſque adeo nulla ſine nævo pulchritudo!, cum vel ipſa lux,

vt illuminet, tenebris egeat! Quis autem fulgores tuos, vmbraſque meas, aut animo complecti poſsit, aut lingua eloqui? Tu argenteo natus in ſolo, nobiliſsimas cunas, aureamque á Natura mentem indeptus, Patriam ipſam tuam, Prænobilesque Parentes illuſtraviſti. Tu Mexiceam Pontificiam, Regiamque Academiam, vel vigilantiſsimus Rector, vel in Theologia, ac Juriſprudentia Doctor egregius, vel in Primaria Scripturæ Sacræ cathedra Magiſter Sapientiſsimus, non alia, quam igneſcenti Virgiliana Lauro aut conveſtiſti, aut coronaſti. Tu

in

in Metropolitano Vrbis noſtræ Imperialis choro vel vt Appollo inter Muſas, vel vt Sol inter ſtellas, perenni iam pridem claritate effulſiſti. Tu Catholicæ Maieſtatis Capellani, ac Concionatoris, Abbatis Cōgregationis perilluſtris Sancti Petri, Pro Indis Vicarij Generalis, Commiſſarij Sanctæ Cruciatæ, aliaque id genus inſignia munia non tam obijſti, quam honoraſti. Tu Regale noſtrum Sancti Ildephonſi, Collegium ne dicam? An Viridarium? vbi Americani Suaveolentes floſculi inter ſapiētiæ brachia innanſcuntur, vt dulciſsimos deinde

in

in fructus erumpant ; olim non tam convictor inhabitaſti, quám Coronator, luceque fulgentiſsima perfudiſti. Tu demum ad Epiſcopales iam diu promeritas Infulas vocatus, atque Eccleſiæ Iucatanenſis in Paſtorem aſſumptus novum prædiviti Provinciæ diem, novumque Solem præparas, vt iam inde Nox extorris, alio, non reditura dum vitam (vtinam Neſtoriam) egeris, commigret, & aufugiat. Verum quid ego vſqueadeo tuas Luces infuſco? Sane quantæ ſint in me tenebræ, inde clareſcit, quod vel tuos etiam potuerint Splendo-

res obſcurare. Ergo ne amplius illos vmbrarum pondere opprimam, premam ſilentio. Spe tamen ea propter non cadam, quod cum te ſemper Minimæ noſtræ Societatis amãtiſsimum præſtiteris, meique (quantumvis Indigniſsimi) Laudatorem, diſſertationes has noſtras (an tuas?) de Sancto Joſeph Serenus adſpicias, adſpectuque benigno tuo facias eluceſcere. VALE.

JHS.

Procemium
SANCTISSIMO PATRIARCHÆ
JOSEPH
NUNCUPATORIUM.

QUOD de Beatiſsima Virgine Maria Præfatione tomi ſecundi in tertiam partem Eximius Doctor aſſeruit: *Se videlicet, non intelligere, cur de Gratia Angelorum, deque illorum meritis, ac ſtatu viæ, ac denique de eorum Gloria, cæteriſque ſcientiæ, & Gratiæ donis, & miniſterijs, ſeu Officijs tam accurate Theologi, diſputant; De Angelorum vero Regina, eiuſque dignitate, Gratia, ſcientia, meritis, ac ſingulari felicitate, longe* ma-

maiori diligentia diſſerendum non ſit: Id Ego de Angelorum Rege S. Joſeph ignorare etiam me, ſincere profiteor. Si enim per ſe dignius; iucundiusque, atque ad pietatem accommodatius de Sacratiſsima Virgine eſt, quam de Angelis, vel prolixas contexere diſputationes: Quare non ita de Puriſsimo Sponſo illius Joſeph eſſe, mens pia judicabit? Si iuxta Peripateticorum Principem, *Melius eſt de rebus altioribus vel pauca conjectare, quam inferiores certitudine etiam mathematica cognoſcere*: Cum dignitas S. Joſeph ſupra omnem Angelicam dignitatem, & officia altius aſſurrexerit; Eccur de collatis illi â Deo præclariſsimis donis, non modo quæ ex Fidei principijs, verum probabiles etiam conjecturas, non proferemus in lucem? Quod ſi proferamus fiet, vt S. Joſeph & roſtris honoretur, & Cathedris.

Enimvero ſi cauſam tantæ de S. Joſeph apud Scholaſticos oblivionis inquiramus:

mus: ea per ſane eſt, maxima quidem difficultas æquam viribus, tantoque operi materiam adinveniendi. Etenim quamvis Sancti aliqui Patres, alijque Authores graviſsimi, aut Sacras enucleando Scripturas, aut pro S. Joſeph è ſuggeſtibus declamando, laudes eximias, encomiaque illuſtria ſæpe congeſſerint; ex Scholaſticis tamen vix fuit aliquis, qui Theologicas controverſias de S. Joſeph, & quæſtiones evolverit. Et vero Eximius Doctor Pater Franciſcus Suarius noſtræ Societatis, immo vniverſi totius, fulgentiſsimum lumen, pro S. Joſeph Scholaſtica methodo tractatum inſtituit, tomo in tertia partem ſecundo; omnia tamen vnica diſputatione, ſectionibusque duabus, non eis quidem longis, coërcuit. Deinde Pater Doctor Petrus Morales huius Mexicanæ Provinciæ Scriptor Doctiſsimus etſi tomum integrum in primum Matthæi caput laudibus S. Joſeph, morem Scholarum ſecutus,

ac

ac per concluſiones, & probamenta procedens, pene impleverit: Attamen multa, quæ eruditè tradit, non eo ſunt ordine digeſta, fundataque in principijs Theologicis, atque à contrarijs argumentis vindicata, vt Scholaſticis ad publicè, & cum ſatisfactione concluſiones defenſandas poſſint inſervire: illius enim benè quidem tornata ſcribendi ratio concionatoribus potius vtilis eſt, quam Scholaribus. Exinde factum eſt, vt quæſtiones vniverſas, quas hi duo præclari Authores exagitant, neceſſe habuerimus, de novo pene cudere, Theologicis fundamentis munire, argumenta in oppoſitum excogitare, eorumque ſolidas, ac veras invenire ſolutiones. Ad hæc alias, & non illas paucas de S. Joſeph controverſias, quæ neque his, neque alijs Doctoribus venere in mentem, noviſsimè è penu Theologica eruere, atque ad Scholaſticam trutinam examinare, opus fuit. Quibus ex omnibus cuivis ingenuo

le-

lectori liceat conjicere quantum in nos pro huius operis elucidatione laborem ſuſceperimus. Tantus enim vero fuit, vt quãvis ardẽtiſsimo capti amore erga S. Joſeph, precibusq́ue, & hortamentis, vt calamum arriperemus, non ſemel illecti á viro clariſſimo, primarijsq́ue in hac Imperiali Mexicana vrbe dignitatibus inſigni, nobisq́ue pergrato, tamen incerti animi multo hæſerimus tempore, & tenuitatem ingenij noſtri, & eruditionis inopiam jure timentes.

Verum tum amor S. Joſeph, tum debita tanto Viro obedientia timorem excuſſere: Gratumq́ue deinde nobis fuit, & elaboraſſe opus, & abſolviſſe; quoniam illud non Theologiæ tantum ſtudioſis, verum etiam Divini verbi Prædicatoribus maximam erit allaturum vtilitatem. Quid enim ad ſeriam concionem efformãdam vtilius, quam eam, non quaſi ruiturum ædificium ſuper arenam attollere, ſed ſolidis fundamentis poſſe firmare? Quid ſinceræ menti,

&

& linguæ gratius, quam inventa veritate ſecure eloqui, veriſque, & non effictis præconijs orationem illuſtrare? Quid demum obſequio Sanctorum dignius, quam legitima illos Scripturarum interpretatione, Sanctorum Patrum eloquijs, Theologorumque firmis ratiocinijs ad ſolium famæ, & immortalitatis evehere? Atque hoc quidem noſtro hoc tractatu planè aſſequētur: tot enim poterunt ad ſacras panegyres argumenta ex eo haurire, quot quæſtiones, concluſionaſque legerint, & ſeria enim vero meditatione ponderarint.

At vero quia non multa de S. Joſeph Scripturæ divinæ, Patreſque nos edocent, plurima pro juſta materia coacti ſumus ſola, ſed certa, probabilitate nixi in Scholarum Theatrum adducere. Quod ſi eorum aliqua, quamtunvis veriſimilia, vera non extiterint (vti in merè probabilibus perſæpe evenire neceſſe eſt) gloriabimur tamen, quod pro honore, & laudatione tua,

San-

Sanctiſsime Joſeph, in lucem ea publicam produxerimus. Cogitare ſiquidem de te magna, etiam quæ non poſſediſti, eſt tibi quodammodo dare, & hæc nobis eſt permagna gloriatio. Quotus enim quiſque Amantium eſt, qui in Perſona, cuius flagrat affectu, non miram pulchritudinem, non egregias dotes, non omnes charites ſibi, ab amore ipſo pro penicillo arrepta penna, in mente depingat? Quoniam in Dilecti laudationẽ non tam intellectus loquitur, quam volũtas; & loco diſſertæ linguæ, eloquens orator eſt Amor. Verum neque dicta de te, Joſeph Sacratiſsime, cupidinis cæcitati ſunt, ſed vivaci rationi tribuenda. Quid enim nos cogitare de te poſſumus, aut ſcribere, quod minus non æſtimetur donis, quibus omnipotens Benedictam Animam tuam profuſa (ſi fas eſt dicere) liberalitate cumulavit? Te in Patrem ſuum Putativum aſſumpſit: Te in Deigenitricis elegit Sponſum. His, quæ poſſunt excogi-

tari ſuperiora munera? Igitur quidquid de Gloria tua, aut cóceperimus, aut fuerimus, elocuti, infra tuum iacebit meritum, altiſſimam tuam dignitatem à longe venerabitur. Inde pie credimus vera, quæ de te proloquimur: enixeque à tua benignitate contendimus, vt ea protegas vmbra, patrocinio defendas, Serenoque vultu digneris adſpicere.

(***)

APPROBATIO
R. P. M. Fr. STEPHANI DE LA CERDA Moran, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in Sacra Theologia Doctoris, Sanctiſsimi Nominis JESU Provinciæ actualis Provincialis, olimque Rectoris Collegij Maximi Mexicani S. Pauli Apoſtoli, & S. Officij Qualificatoris.

Exc^me.^ Princeps.

DIſſertationes has duplici compulſus fateor legiſſe titulo: & Cenſoris quo veſtra jubente Exc. extollor honore, & Laudatoris quo diſſertationum pulchritudine illectus munere fungor: quin & Cenſorium munus Laudatoris expungat honorem; nec laudatorius honos munus expellat Cenſoris: vtriuſque enim munia in vnius eſt munera colimaſſe compertum, ſupremi rerum omnium approbante Conditoris cenſura, qui dum *cuncta, quæ fecerat* ſibi objicit judicanda, haud tantum cenſet laudibus extollenda, ſed & maximæ bonitatis encomijs, quæ *erant valde bona*, ſua alta in mente repoſta oſtendit laudata. Nec cenſoris ſpernit onus, dum muneri accingitur laudatotis, ſed amico ſociat vtrumque fœdere vt mens hominum limitata mortalium diſcat jure laudare, quod bonitate præſtans ali-

aliquo cogitur imperio cenſere. Idcirco ſtatim ac V. Exc. imperio ſtatui ſubmiſſus obtemperare humaniſſimo, quo mihi fuit dignatus ratione cōmittere trutinandas, decrevi eſſe laudibus extollendas has de Sancto Joſeph Diſſertationes, quas tanti ingenij dexteritate elaboravit, ac incredibili ſubtilitate polivit Pereruditus Pater Antonius de Peralta Sacræ Jeſuadum ornamentum familiæ inter Primores Maximi Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Collegij merito Magiſter numerandus: haud tantum quia primas in ſcholaſtico obtinuit pulvere ſedes, dum Philoſophiam, & ſacram dictans Theoſophiam apprimè vrbis, & Jeſuitici orbis erudiebat alumnos, qui gratitudine acceptam rependentes eruditionem, *eum ſtrenuum in cathedra Seniorum laudavere primarium*, quem antea ſcholæ, laudaverant vniverſæ: verumetiam quia maiorum Præfectus tanti ſtudiorum renuntiatus Muſæi vtilitati reipublicæ conſulens literariæ nullis ſuæ pepercit ſapientiæ omnigenæ ſumptibus, vt eam tractatibus, quos prælo mandavit, varijs divitem redderet, atque numeris omnibus abſolutam, vndique relinqueret eruditam. Quos inter tractatus publica gaudentes jure merito vſura haud paucas orbi afferunt divitias literario hæ de Sancto Joſeph Diſſertationes, quæ in ſcholaſtica anxie deſiderabantur arena, quæque cum ê tanti Doctoris, veluti e Jovis, & Minervæ cerebro, emanaſſent optimæ, elogia jure optimo poſtulant, dum criſſim, aut cenſuram expectant: ideo me, quem jura præſcripſere cenſorem, tam abſoluti operis merita imparem fecerunt laudatorem. Sed

quæ-

quænam erit laus tanto operi præſtanda? Certè non alia niſi quæ tam Doctiſſimo eſt Authori exhibenda, qui in eruendis germanis, & cohærentibus Sacræ Scripturæ ſenſibus, & in Theologicis difficillimis quæſtionibus decidendis tantum inter Doctores extollit caput, vt in primo alterum Hieronymum, in ſecundo alterum Protoparentem me conſpexiſſe Maximum crediderim Auguſtinum: præcipuè ſi in dubitando acumen, in proponendo claritas, in reſolvendo ſoliditas, in reſpondendo ſubtilitas, & in argumentando ſit explorata vivacitas. Quibus hoc aureum ita polite ſui ingenij dotibus exaravit opus, vt vndique acumine reſplendeat plenum, vndequaque miretur ſubtilitate præditum, ſoliditate firmatum, vivacitate ſtabilitum, ac omnis ſcientiæ, Sacræ paginæ, & Sanctorum Patrum authoritatibus ita refertum vt de ipſo jure dicatur, quod de operibus Sancti Cypriani Nazianzenus dicebat: *Elaboratum naturæ opus, doctrinæ principatus, tam Philoſophiæ, quam cuiuſvis alterius generis diſciplinæ, idque quacumque cum parte cenſere volueris, adeò vt in eo variarum artium cognitio mirabilior eſſet, quam ſingularum exacta, & perfecta ſcientia, & rurſus ſingularum exquiſita, & modis omnibus abſoluta perceptio plus admirationis haberet, quam variarum artium collecta Scientia, vel vt apertiori diſtinctione hæc explicem alios multiplici rerum cognitione, alios quod ſummum ſcientiæ gradum attigiſſet alios vtraque laude, omnes autem omnibus ſuperaret.* Quis enim tanta in hoc opere demiratus portenta, quæ diviſa beatum Scriptorem ſolent efficere, collecta fœlicitant: Cenſoris onus laudatoris munere

non

non compleret? Quo Authorem ſuper altitudines montium *ſublatum* divinæ particulam auræ ebibiſſe, diviniora, terrenaq̃ vno junxiſſe fœdere non affirmaret? Quis ſi prætioſas Divini verbi gemmas Mariam ſcilicet, & Joſeph ab Authore apprimè demiraretur inſculptas, & quæ de eis antea arcana obſcura credebantur, & vetuſtas non intellecta venerabatur, quæ cognita per ipſum poſteritas gratulatur in ipſius Authoris laudem, quod de ſimili Doctore Vincentius protulit Lyrinenſis non proferret lætabundus. *O Doctor ingenio, ſtudio, doctrina illuſtris, pratioſas divini dogmatis gemmas inſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter; adjice ſplendorem, gratiam; venuſtatem; intelligatur, te docente, illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur, per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectum venerabatur.* En EXme. Princeps laudatoris munus Cenſoris complere onus, quo ductus prælaudatum tanti Magiſtri (ó vtinam laus foret vt meretur) opus (me judice) ad communem vtilitatem imprimi, & publicè ferri ſentio: quia præter doctrinam, qua ſcatet, Catholicæ Eccleſiæ Romanæ conſentaneam, nullius erroris ſuſpectam, ſolidam, ac veram, miram Sanctorum Patrum continet eruditionem, qua quiſque facilè *ſapientiam omnium antiquorum, exquiret, & in abſconditis* putativi Patris Sancti *Sanctorum converſabitur.* Sic (*Salvo meliori*) cenſeo in hoc Mexiceo S. P. N. Auguſtini Conventu. Die 7. Menſis Julij Anno Domini 1728.

Fr. Stephanus de la Zerda Moran.

AP-

APPROBATIO
R. P. M. Fr. MICHAELIS DE AROCHE, ex Sacra Redemptorum B. Mariæ Virginis de Mercede Familia, quondam Mexiceæ Provinciæ meritiſsimi Provincialis, Deffinitoris, Maximi Conventus Commendatoris, Rectoris Bethleemitici Collegij, Qualificatorisque S. Officij.

JUSSU D. D.D. Franciſci Rodriguez de Navarijo, vtriuſque Juris Laurea condecorati Doctoris, Jurisque civilis veſpertinæ Cathedræ Profeſſoris, atque huius Archiepiſcopatus Vicarij Generalis, &c. Examinis, vel Cenſoris mihi iniungentis honorem: librum iſto Diagrammate luculentiſſimo circumſcriptum, *Diſſertationes Theologica de Sancto Joſepho*, à R. P. Magiſtro Antonio de Peralta acclamatiſſimo Theologo Societatis Jeſu, & in Sciētiarum Cœlo, Prudentiæ ac gubernij ſalo, maximo ſcilicet, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Collegio, diu, noctuque ſtudijs incumbente profecto, atque Præfecto, Syllogiſtica methodo accurate diſcuſſum, ſumma cum voluptate perlegi.

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat vſq̃ morari. (*Virg. Æne.* 6.)

Aſt: ſi inter amœna Sacræ expoſitionis viridantia vireta, virga puriſſimi Sponſi Joſephi, adeo virtutum

tum floribus apparet onuſta vt nullis littoribus objicientibus, ſed olitoribus rivis potius irrigantibus eloquentiæ, jucundiſſimis omnium Sanctorum odoramentis ſcateat: nam quis Ædilem Dominum natum ſtringentem non videt, qui adamuſſim Paternitatem non aſpicit? *Ecce odor filij mei*, meo, aſſerere quibit, videri, *Sicut odor agri pleni*: (*Gen.* 27.) & quid ſi haud vniverſi pulveris pigmentarij, morte premente, ad æthera progreſſuram reſpiciat? Ipſum Sanctiſſimum Sponſum Cœleſtium comitatum, civibus, mente ſimul, & corpore olympum aſcenſurum cupientem per rimas arbitror inſpectaſſe: nec latet lilium diris vepribus implicatum, nitorem gratiæ inter mundi illibatum illecebras cuſtodiſſe ad vividum delineare: *Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias.*

Cur igitur noſter eximius Scriptor, qui bonum irenarchiæ ſortitus eſt munus; vt armifer ſtrenuiſſimus hinc inde ad pugnam in Protoparentis chariſmata concitat ovantes? Quis nanque virtus aut dolus in hoſte requirit? Tametſi inclyti Patris Joſephi ſe objiciant Syllogiſtica methodo obtutibus propugnatura faſtigia; tantum abeſt vt horrida dumis argumentorum appareant; quin firmius innixa rationibus clucefcant. Huic placito favet ſententia juris: *arguendo veritas invenitur*, (*Juris conſ. ap. ebor*) quod non iners, ſed potius ſolers incenſo mentis ſtudio, totoque cordis affectu (Auſpice tamen Sapientiſſimo diſſertationum Authore) propugnaturus polliceor; nec atra argumentorum meo obſiſtet nebula tenuiſſimo captui: nam primus Scriptor, me-

melius inquam, vnicus, & nulli ſecundus, veluti *Phœnix de ſingularitate famoſus*, (*Quint. de Phœn.*) arte Syllogiſtica, qua ſemper polluit, nam quis ſuam non ſitiet argumentationis formam politam! Irruet in iacula: quare bene ad expugnandos acriter hoſtes, ſic cum Lucano Sacræ Theologiæ ſtrenuus hortatur amaſios.

Ad magnum virtutis opus, ſummosque labores
Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat ſerpens, fatoque pericula veſtra.
Præſentate meo.

Vnde deveniens iam ad occulatã Chryſſim, quod in præſenti principalius exigitur, quam potius ad ſæpe Cœcam venerationem Authoris; hoc opus fateor omnibus eſſe numeris abſolutum, nec ab Authoris acumine alienum, atque orthodoxæ Fidei non abſonum, quare cenſeo jure, & merito prælo mandari ad publicam vtilitatem, noſtrum commodum, & iſtius orbis, & vrbis magnificum monimentum. In hoc Mexicano Redemptorum Conventu. Die 21. Menſis Julij Anno Domini 1723.

Fr. Michaël de Aroche.

¶¶¶ Li-

Licencia del Superior Govierno.

EL Excmo. Señor D. Juan de Acuña, Marquès de Cala-Fuerte, Cavallero del Orden de Santiago, Comendador de Adelfa en la de Alcantara del Conſejo de ſu Mageſtad, en el Real, y Supremo de Guerra, General de ſus Reales Exercitos, Virrey Governador, y Capitan General de eſta Nueva Eſpaña, y Preſidente de ſu Real Audiencia, y Chancilleria. &c. concedió ſu licencia para la impreſſion de eſte Libro, cuyo titulo es: *Diſſertationes Scholaſticæ de S. Joſeph*, viſta la Aprobacion del M. R. P. M Fr. Eſtevan de la Cerda Moran, del Orden de Señor San Auguſtin; como conſta por ſu Decreto de 9. Julio de 1728. años.

Licencia del Ordinario.

EL Señor D. Franciſco Rodriguez Navarijo, Doctor en ambos Derechos, Abogado de la Real Audiencia, y de Preſſos del Tribunal del Santo Officio, Cura que fuè de la Parrochia de la Santa Vera-Cruz, Medio Racionero, Racionero, y Canonigo Doctoral de eſta Metropolitana Igleſia, Cathedratico en propriedad de Viſperas de Leyes en la Real Vniverſidad, Capellan del Religioſiſſimo Convento de Santa Thereſa de Jesvs, y actual Vicario en èl, Proviſor, y Vicario General deſte Arzobiſpado, en la Sede-Vacante, concedió ſu licencia para la impreſſion de eſte Libro, cuyo titulo es: *Diſſertationes Scholaſticæ de S. Joſeph*, viſta la Aprobacion del M.R. P. M. F. Miguel de Aroche, del Real, y Militar Orden de N. Señora de la Merced; como conſta por Auto 23. de Julio de 1728. años.

Fa-

Facultas Religionis.

EGO Andreas Nieto Præpoſitus Provincialis in Provincia Mexicana Societatis JESU, poteſtate mihi facta à R. P. N. Michaële Angelo Tamburino Societatis noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo P. Antonio de Peralta, Profeſſo noſtræ Societatis, vt tractatum, cui titulus: *Diſſertationes Scholaſticæ de Sanctiſſimo Patriarcha Joſepho*, ab ipſo compoſitum in lucem edat, cum aliquos Societatis noſtræ Theologi, quibus illum recognoſcendum commiſi, publica luce dignum iudicaverint. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ac ſigillo Societatis munitas dedi Mexici die vigeſſimo nono Junij Anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi octavi.

Andreas Nieto.

De mandato P. Provincialis.

Andreas Xaverius Garcia.
Secretarius.

Errata ſic corrige.

PAG. 37. lin. 24. *que* lege *quæ*. Pag. 54. lin. 24. *apponitur* lege *opponitur*. Pag. 71. lin. 10. *reliquant* lege *relinquant*. Pag. 121. lin. 29. *ille* lege *illa*. Pag. 166. lin. 25. *Nega* lege *negat*. Pag. 177. lin. 7. *divortis* lege *diverſis*.



DISSERTATIONES DE SANCTO JOSEPH.

DISSERTATIO PRIMA: *DE PRÆDESTINATIONE SANCTI JOSEPHI.*

QVÆ DE SANCTORVM PRÆDESTINAtione ad primam D. Thomæ partem Theologi diſputant, à nobis diſcuſſa iam pridem ſunt pleno tractatu. Nunc autem ea ſolum, quæ Sancto Joſepho ita vnicè, ac propriè concernunt, vt alteri cuivis Beatorum adſcribi nequeāt, in controverſiam adducemus. Atque à prædeſtinatione quidem exordium præſumimus, vt ab illa tanquam omnium Gratiarum fonte, maria Privilegiorum Sancti Joſephi prorumpant, & effluant.

Sit ergo.

SECTIO PRIMA: *DE ORDINE PRÆDESTINATIONIS SANCTI JOSEPHI.*

PRædeſtinatio (vti dixi in tractatu de illa, diſſ. 1. ſec. 3) eſt *ſpecialis* Dei erga ſalvandos Providentia, qua nimirum eos in vitam æternam per certa media infallibiliter, & cum effectu perducit. Divus autem Auguſtinus de bono Perſe-

verantiæ cap. 14. ſic eam, & optimè definivit: *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicumque liberantur.* Et per ly *Præſcientia* ſignificantur actus divini intellectus; per ly vero *Præparatio*, actus voluntatis divinæ, intentio ſcilicet finis, & mediorum electio, in quibus iuxta ibidem, ſect. 4. dicta, formaliter, & in recto Prædeſtinatio conſiſtit.

Atque hæc quidem dicitur non *ſcientia*, & *paratio*, ſed *Præſcientia*, & *Præparatio*, vt duplex per particulam *Præ* denotetur Prædeſtinationis anteceſſio: Prima videlicet *temporis*, qua Prædeſtinatio cum eſſentialiter conſtituatur actibus internis Dei, præcedit ab æterno, & Prædeſtinati exiſtentiam, & executionem mediorum, ac finis: Secunda *cauſalitatis*, nam cum Prædeſtinatio præparet auxilia, quibus obtinetur æterna ſalus, ordine præcedit cauſalitatis ſalutem. Sic breviter explicata Prædeſtinationis natura, ne huius noſtræ materiæ ſtudioſus, ad prolixos alios tractatus cogatur recurrere, aliqua ex alijs tractatibus præmittenda ſunt, vt ordo Prædeſtinationis Sancti Joſeph clarius ſplendeſcat.

Præmitto igitur primo: quod, vti iam diximus in libro de Divinis decretis, diſſ. 1. ſec. 2, inter plures actus Dei tum voluntatis, tum intellectus datur ordo intrinſecus objectivus, & virtualis prioritatis, & poſterioritatis. Ratio ibi tradita, & breviter nunc inſinuata, hæc eſt: quia tunc talis ordo datur inter duos actus v. g. liberos, quando

vnus

vnus & virtualiter diſtinguitur ab altero, & conducit ad illum, ſeu in illum ſuo modo, nimirum *moraliter* influit movendo, & determinando Deum ad eius exiſtentiam; atqui taliter ſe habent aliqui actus liberi Dei reſpectu aliorum; nam intentio efficax finis per media indeterminata diſtinguitur virtualiter ab electione determinati medij, & moraliter influit in illam movendo Deum, vt hoc medium præ illo eligat pro finis conſecutione: ergo inter eos actus datur ordo prædictus.

Præmitto ſecundo: quod præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate mediorum, & finis; ſcientiamque Mediam de auxiliorum efficacia, requiritur conſtitutivè, & ſe tenet pro priori libertatis ad Prædeſtinationem, ſcientia viſionis eorum objectorum; quibus de facto Deus ad illam movetur. Ratio eſt: quia omnis ſcientia, quæ de facto conducit ad Prædeſtinationem, datur pro priori libertatis ad illam; atqui ſcientia viſionis objectorum, quibus de facto Deus ad Prædeſtinationem movetur, conducit ad illam, vt pote cognitio alliciens, & moraliter influens in eam: ergo tenet aſſertum.

Inde ſcientia viſionis meritorum Chriſti Domini datur pro ſigno libertatis ad Prædeſtinationem omnium hominum, nam ex meritis Chriſti movetur Deus ad illos prædeſtinandos. Atque idē dicendum eſt de meritis Beatiſſimæ Virginis, quam in libro de ipſa, diſſ. 1. ſec. 1. defendimus, fuiſſe cauſam meritoriam Prædeſtinationis omnium homi-

mi-

minum; ſecundariam tamen, & per influxum prorſus à Chriſti meritis dependentem. Denique etiam propter eamdem rationem ſcientia viſionis de decretis liberis eorum objectorum, quæ ad Prædeſtinationem movent, requiritur conſtitutivè ad illam, vt exiſtens in ſigno libertatis.

Præmitto tertio: quod *liber Vitæ* iuxta D. Auguſtinum, Thomam, & alios Patres, ac Theologos, nihil eſt aliud, quam ea ſcientia ſpeculativa, qua Deus ab æterno quaſi reflexè ſuam prædeſtinationem, atque omnes, & ſingulos Prædeſtinatos intuetur; habet enim illos quaſi ſcriptos in ſuo Intellectu, & in notitia ſua firmiter retinet. Atque hic vocatur *liber Vitæ Gloriæ*: Præter illum autem datur alius quaſi ſecundarius, & ſecundum quid talis, qui dicitur *liber Vitæ Gratiæ*, & eſt illa ſcientia, qua Deus videt Juſtos pro tempore, quo Juſti ſunt. Verum de hoc latius citato de Prædeſtinatione tractatu.

Præmitto quarto: quod iuxta ordinem ſignorum Prædeſtinationis Chriſti, & Mariæ à nobis cum Patribus Lugo, & Rhodes, traditum lib. de B. Virg. diſſ. 1. ſec. 1. poſt ſigna creationis Mundi, pacti celebrati cum Adam, & permiſſionis peccati illius, primum obtinet locum ſignum Prædeſtinationis Chriſti, ſecundum autem ſignum Prædeſtinationis Mariæ. Igitur in præſenti duo quæruntur: Primum, an poſt ſignum Prædeſtinationis Mariæ immediatè ſequatur ſignum Prædeſtinationis Sancti Joſeph cum ordine poſterioritatis objectivo?

Se-

Secundum: an nomen S. Joſeph inter nomina omnium Prædeſtinatorum primum occupet locum *in libro Vitæ Gloriæ?* Sit ergo.

Prima concluſio: Prædeſtinatio B. Virginis, & Sancti Joſeph ſunt in ſignis immediatè Conjunctæ: ita tamen vt Prædeſtinatio Sancti Joſeph ſit in ordine objectivo poſteriori ad Mariæ Prædeſtinationem. Probatur prima concluſionis pars ex Scriptura, nam Eſaiæ 62. dicitut: *Habitabit Iuvenis cum Virgine, & gaudebit Sponſus ſuper Sponſam.* In quibus Verbis Evangelicus Propheta prædixit conjunctionem Mariæ cum Joſeph, iuxta interpretationem Gloſſæ aientis: *Caſte, & ſancte, ſicut Maria cum Joſeph*; atqui hæc conjunctio non poteſt eſſe alia ab ea, quæ præceſſit in divina Prædeſtinatione: ergo in illa fuit talis conjunctio; ſed non poteſt eſſe alia, niſi in immediatione ſignorum, quia vtraque prædeſtinatio non fuit in eodem ſigno, vt patebit in probatione ſecundæ partis: ergo Prædeſtinatio Beatæ Virginis, &c.

Probatur etiam ratione: ex Ieſu, Maria, & Joſeph reſultat vna indiviſa Familia Sacra per vnionem moralem, cum debita tamen ſubordinatione: ergo ita decreta eſt per divinam prædeſtinationem; atqui ſubordinatio ſtat in eo, quod poſt ſignum Ieſu Prædeſtinatorum primi, ſequatur immediatè ſignũ Prædeſtinationis Mariæ, & poſt hoc immediatè ſignum Prædeſtinationis Sancti Joſeph: ergo tales Prædeſtinationes ſunt in ſignis immediatè conjunctæ.

Pro-

Probatur jam ſecunda pars concluſionis: Beata Virgo, vti diximus loco citato, obtulit Deo omnia ſua merita, & etiam Filium ſuum in cruce pro ſalute, & prædeſtinatione omnium hominum, cum ſpeciali affectu erga aliquos, vt eis darentur efficacia auxilia, quibus certiſſimè liberarentur: ergo Deus in ſuo decreto efficaci prædefinitivo vidit per ſcientiam viſionis ea Virginis merita, oblationem, & applicationem, ac per conſequens illa ſcientia viſionis vt exiſtens in ſigno libertatis divinæ Deum direxit ad electionem Prædeſtinatorum, cum fuerit cognitio alliciens; ſed quoties vnus actus divinus vt exiſtens in ſigno libertatis dirigit ad alium eſt in ordine prioritatis objectivo ad illum & ille alius in ordine objectivo poſterioritatis, iuxta dicta, præmiſſo 1: ergo electio omnium electorum eſt in ſigno poſteriori objectivo ad prædeſtinationem Beatæ Virginis.

Tum ſic: ratio naturalis ſuadet, vt applicatio meritorum Virginis ex ſpeciali affectu, ſit primario,& principalius ad Perſonam magis conjunctam, & magis dilectam à Virgine, & quod Deus vi illorum primo moveatur ad talem Perſonam eligendam; atqui inter Prædeſtinatos nullus fuit magis conjunctus, & dilectus à Virgine, quam Sanctus Joſeph eius Puriſſimus conjux: ergo primario, & principalius applicuit ſua merita pro Sãcto Joſeph, Deusque ex illis motus eſt ad eum primo inter omnes Prædeſtinandum. Infero: ergo & Prædeſtinatio Sãcti Joſeph fuit in ſigno immediato ad Præde-

deſtinationem Mariæ, fuitque Joſeph poſt Filium, & Matrem Dei primus Prædeſtinatorum; & eius Prædeſtinatio fuit in ordine poſterioritatis objectivo ad Prædeſtinationem Beatæ Virginis.

Secunda concluſio cum P. Morales lib. 1. trac. 4. à n. 10. uſque ad 11, & lib. 3. trac. 5. n. 5. 6. 7: Poſt Sanctiſſima nomina *Ieſu*, & *Mariæ*, primum nomen ſcriptum in *libro Vitæ Gloriæ* eſt nomen *Joſeph*. Probatur concluſio: quoties datur inter aliqua nomina maior ſimilitudo fundata in vero, & legitimo titulo ad conjũctionem, conveniens eſt, vt ordine debito ſcribantur in libro Vitæ Gloriæ; atqui inter nomina *Ieſu*, *Maria*, *Joſeph* datur maior ſimilitudo fundata in vero, & legitimo titulo ad conjunctionem, cum ea nomina repræſentent eamdem Sacram Familiam: ergo ſcripta ſunt in libro Vitæ Gloriæ debito ordine, nimirum, vt poſt nomina *Ieſu*, & *Maria* ſcriptum ſit nomen *Joſeph*. Minor huius ſyllogiſmi, quoad titulum conjunctionis, patet ex probatione incluſa.

Probatur igitur quoad rationem ſimilitudinis: Nomen *Joſeph* habet quinque Literas, ſicut nomen *Ieſus*, & nomen *Maria*, nam *P*, & *h* Joſeph vnam faciunt literam, cum *h* ſit aſpiratio; atqui in hoc numero quinario ſtat maxima ſimilitudo in ordine ad Scripturam libri Vitæ Gloriæ: ergo ſtat requiſita ſimilitudo, vt nomen Joſeph ſit tertio loco ſcriptum in libro Vitæ Gloriæ. Probatur minor: Omnes, qui ſcripti ſunt in libro Vitæ Gloriæ, ſcripti ſunt propter vulnera Chriſti, & Verbi Incarnationem;

at-

atqui ea vulnera, & Incarnatio ſignificantur in numero quinario; nam ea vulnera ſunt quinque, repræſentata in quinque limpidiſſimis lapidibus, quibus verus David Chriſtus occidit Goliat, id eſt Dæmonem, vt homines redimeret, & in libro Vitæ Gloriæ ſcriberentur: Incarnatio autem medijs quinque dictionibus facta eſt, dicēte Maria, Luc. 1. *Fiat mihi ſecundum Verbum tuum*: ergo in hoc numero quinario, &c. Nec taceam, quod Sanctus Latro, quinque etiam dictionibus in libro Vitæ Gloriæ ſcriptus eſt, aiente Domino Luc. 18. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Vlterius: quo maior eſt dignitas alicuius nominis, potiorem debet in libro Vitæ Gloriæ locum obtinere; atqui dignitas nominis *Joſeph* eſt ſupra nomina omnium Eccleſiæ Principum, ſcilicet Apoſtolorum: ergo potiorem locum obtinet in libro Vitæ Gloriæ, nimirum tertium. Maioris veritas rationi naturali, & recto ordini congruit: Probatur igitur minor nam (vt graviter, & acute notavit P. Morales lib. 3. trac. 8. n. 19. 20. 21. cum Izolano p. 4. c. 7. poſt medium:) cum Chriſtus Dominus vocaverit Apoſtolos *amicos*, nullum vocavit *Joſeph*, niſi Patrem ſuum putativum: ergo propter ſpecialem dignitatem huius nominis, ac per conſequens dignitas, &c. Antecedens conſtat: quia cum propoſiti eſſent ad Apoſtolatum loco Judæ traditoris *Joſeph, qui cognominatus eſt Juſtus*, & Mathias, hic, & non ille electus eſt, cum etiam eſſet Chriſti proximus conſanguineus; & cum Sanctus Barnabas an-

tea diceretur *Joſeph*, vt poſtea ad Apoſtolatum aſſumeretur, nomen mutavit, *Joſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, Act.* 4: ergo quia Chriſtus nullum Apoſtolorũ voluit vocare *Joſeph.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argumentum primum; contra primam concluſionem: quando Sanctus Matthæus Cap. 1. nominat Jeſum, Mariam, Joſeph, dicens; *cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph* nullum inter ea nomina punctum, apicem, aut diſtinctionis notam apponit: ergo cum iuxta S Hieron. in Epiſt. ad Epheſios cap. 3. *ſinguli Sermones, ſyllabæ, apices, & puncta in divinis Scripturis plena ſint ſenſibus*, hoc non poteſt carere aliquo myſterio; ſed non eſt aliud magis proportionatum, quam ſignificare ſummam conjunctionem harum Perſonarum, quæ ſumma conjunctio eſt, quod ſint in eodem ſigno Prædeſtinationis: ergo ita ſunt, ac per conſequens non datur prioritas, & poſterioritas objectiva inter Prædeſtinationem Mariæ, & Joſeph, nec ſignorum diſtinctio.

Vlterius: quia ex Gerſone, & alijs, Pater Oſſorius, ſerm. 2. de Sancto Joſeph, hæc habet: *Mira cathena colligati ſunt ab Evangeliſta Jeſus Maria Joſeph, quia illos tres vnum facit, quaſi quod quidquid vni eorum tribuitur, alteri tribuatur*: ergo cum Maria, & Joſeph ſint vnum, Prædeſtinationis ſignum, quod tribuitur Mariæ, debet tribui Joſeph;

abſque vlla objectiva poſterioritate. Argumentum multum, probat; probat enim, Prædeſtinationem Sancti Joſeph eſſe in ſigno Prædeſtinationis Chriſti, quod falſiſſimum eſt, cum fide conſtet, Chriſtũ eſſe primum Prædeſtinatorum, & primariam cauſam Prædeſtinationis omnium. Deinde in forma conceſſo enthymemate, nego minorem ſubſumptam, quia ſolum ſignificatur Vnitas *in ratione Familiæ*, & *identitas moralis* Perſonarum, quæ ponitur à jure, & Iuriſtis inter Parentes, & Filios. Ad id quod additur, ſimiliter negatur conſequentia, propter eamdem rationem.

Argumentum ſecundum: ideo Prædeſtinatio Sancti Joſeph eſſet in ſigno poſterioritatis objectivo ad Prædeſtinationem Beatæ Virginis, quia Deus moveretur ad Prædeſtinandum Sanctum Joſeph ex ſcientia viſionis meritorum Virginis, vt conſtitutivè requiſita ad Prædeſtinationem; quatenus conſtituit libertatem ad illam; atqui hæc ratio ſupponit falſum: ergo eſt nulla. Probatur minor: hæc ratio ſupponit, ſcientiam viſionis conſtituere Prædeſtinationem ex eo, quod conſtituat libertatem ad illam, ſed hoc eſt falſum: nam Omnipotentia, & Voluntas in *actu primo*, ſeu potentia volitiva Dei conſtituunt libertatem ad Prædeſtinandum, & non conſtituunt Prædeſtinationem, iuxta omnes Theologos: ergo ratio ſupponit falſum, ac pro inde non tenet.

Præmitto ad ſolutionem: quod quando Theologi cum Patribus agunt de conſtitutivis Prædeſtina-

nationis, ſolum loquuntur de conſtitutivis *per modum actus*, ſeu de actibus divinis illam conſtituentibus: non autem de conſtitutivis *per modum principij*, quales ſunt Omnipotentia, & voluntas, quæ *formaliter* non ſunt actus, licet *realiter*, & *materialiter* ſint propter identitatem cum actibus divinis. Hinc in forma nego minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ſupponit conſtituere *per modum actus*, concedo; *per modum principij*, nego, & minorem; & diſtinguo probationem illius: non conſtituunt Prædeſtinationem realiter, & materialiter, nego; formaliter, *ſeu per modum actus*, cōcedo.

Argumentum tertium: Beata Virgo fuit cauſa meritoria, quanvis ſecundaria, minus principalis, & omnino dependens à Chriſto, meritisque eius, Prædeſtinationis Sancti Joſeph cum præcedentia ad alios electos: ergo pariter dicendum eſt, fuiſſe cauſam meritoriam Prædeſtinationis SS. Joachim, & Annæ etiam quoad exiſtentiam, ſed hoc eſt falſum, nam principium meriti caderet ſub meritum, cum Joachim, & Anna, vt pote principium proximū exiſtentiæ Virginis fuerint principium remotum meritorum ipſius: ergo etiam primum eſt falſum. Prima conſequentia patet, quia videtur ſatis bona paritas inter Virginis Parentes, & Sponſum; reliqua autem conſtant.

Præmitto ad ſolutionem: quod cum Virgo, iuxta dicta in tract. de illa, diſſ. 1. ſec. 2. fuerit cum dicta reſtrictione cauſa meritoria Prædeſtinationis omnium electorum, fuit etiam reſpectu SS. Joa-

chim,

chim, & Annæ adhuc quoad exiſtentiam, quæ iuxta ibi ſec. 3. dicta, eſt Prædeſtinationis effectus. Quomodo autem id fieri poſſit, quin principium meriti cadat ſub meritum? Facilè componitur, dicendo; Mariæ exiſtentiam fuiſſe decretam per decretum disjunctivum illam determinans, & principia, actionesque disjungens, ſic: *Volo Mariam exiſtere, vel per Joachim, & Annam, vel per Zachariam, & Eliſabetam, &c. vel per actionem A, vel per B, &c.* Ratio eſt: quia cum exiſtentia Mariæ non requirat determinatè hoc principium, & hanc actionem, poteſt in priori ſigno decerni ſine determinatione principij; in poſteriori determinari principium, & actio à quibus ſit.

Hoc igitur decreto disjunctivo poſito, in eo videt Deus Mariam exiſtentem, eiusque merita abſolutè futura, ex quibus movetur ad eligendos in Parentes ipſius Joachim, & Annam. In hac vero hypotheſi, principium meriti non cadit ſub meritum, quia exiſtentia Joachim, & Annæ non decernitur propter merita Virginis, vt filiæ eorum determinatè, ſed disjunctim, vel eorum, vel aliorum Parentum. Hinc in forma conceſſo enthymemate, nego ſubſumptam cum probatione incluſa, ad cuius probationem diſtinguo ly *fuerint principium remotum meritorum*, & requiſitum, nego; & non requiſitum, concedo.

Verum quia vt hæc ſolutio ſubſtineatur neceſſe eſt legere, & intelligere plura difficillima argumenta à nobis propoſita, & extricata loco citato, tra-

tractatus de Beata Virgine, & fortaſſè librum ad manum non habebis, aliam faciliorem ſolutionem accipe. Nego igitur primam conſequentiam, & argumentum ruit. Ratio autem diſparitatis datur ab ipſo arguente, quia nimirum ex eo, quod Beata Virgo meruerit Prædeſtinationem Sancti Joſeph, nullum abſurdum Theologicum ſequitur; ex eo vero, quod meruerit Prædeſtinationem SS. Joachim, & Annæ quoad effectum exiſtentiæ (nam quoad alios effectus nulla eſt in præſenti difficultas) ſequitur, principium meriti cadere ſub meritum propter rationem arguentis, & hoc eſt Theologicum abſurdum. Vnde paritas inter Parentes, & Sponſum Mariæ non eſt ſatis bona.

Argumentum quartum contra ſecundam concluſionem : Nomen Sancti Joſeph propter Virginem fuit primo loco ante omnes electos ſcriptum *in libro Vitæ Gloriæ* : ergo nomen Judæ Proditoris propter Virginem fuit primo loco ante omnes Reprobos ſcriptum *in libro Mortis*. Probatur conſequentia : ideo primum, quia Virgo ſpeciali affectu applicuit ſua merita pro S. Joſeph; atqui non applicuit eo ſpeciali affectu ſua merita pro Juda Proditore : ergo nomen Judæ Proditoris, &c. Præmitto ad ſolutionem primo : quod licet Prædeſtinationi correſpondeat, iuxta Scripturas, *liber Vitæ*; Reprobationi tamen non correſpondet *liber Mortis*, nam vt ait D. Thom. 1. part. q. 24. art. 1. ad 3. *Non eſt conſuetum conſcribi eos, qui repudiantur, ſed eos, qui eliguntur.* Et poteſt eſſe congruentiæ

ra-

ratio, quia talis liber eſſet ſuperfluus, cum ex libro Vitæ conſtet indirectè, quinam ſint Reprobi?

Præmitto ſecundo: ex iam dictis lib. de Beata Virg. diſſ. 4. ſec. 2. quam non pigeat videre, ſi librum habeas, ad argumentum ſextum: quod permiſſo, & non conceſſo, dari *librum Mortis*, ex eo, quod Beata Virgo non applicuerit ſpeciali affectu ſua merita pro Juda, non ſequitur, propter eam fuiſſe eius nomen ſcriptum in libro Mortis, ſumpto *propter poſitivè, & per ſe*, ſed tantum *permiſſivè*, & *per accidens*. Ratio eſt: quia tunc ſolum effectus ſecutus, ex actione, vel omiſſione alterius tribuitur illi tanquam cauſæ *poſitivæ*, & *per ſe*, quando vel habet obligationem effectum vitandi, vel ſuam actionem, aut omiſſionem ponit ea intentione, vt talis effectus ſequatur, vel cum complacentia in illo; ſi autem ſecus res ſe habeat, ſolum poteſt dici, *permiſſivè*, & *per accidens* illũ cauſare, vti communiter defendunt Theologi, tractatu de actibus humanis.

His ſuppoſitis in forma ad argumentũ, primo nego ſuppoſitum conſequentiæ, nimirũ dari *librum Mortis*, & totum ruit. Secũdo permiſſo *libro Mortis*, diſtinguo ly *propter* primæ conſequentiæ: Propter *poſitivè, & per ſe*, nego; *permiſſivè*, & per *accidens*, concedo. Et diſtinguo minorem probationis: non applicuit ſub obligatione applicãdi, vel ex intentione, aut cũ complacentia in eo, quod Judas ſcriberetur in libro Mortis, nego; abſq; illis, concedo. Virgo igitur nõ fuit in cauſa poſſitive, & per ſe tali, vt Judas in libro Mortis ſcriberetur, quoniã neque habe-

bat

bat obligationẽ impediendi, ne ſcriberetur, neque ex intentione, aut cũ cõplacentia in ea ſcriptione, ſuorũ meritorũ ex ſpeciali affectu applicationẽ omiſit.

Argumentum quintum: Plura ſunt nomina Electorum conſtantia quinque literis, vt nomen *Jeſu*, & *Mariæ*; ſed non eo ipſo ſcripta ſunt tertio loco in libro Vitæ Gloriæ; alioqui nomen Sancti Simonis Apoſtoli, ibi eſſet ſcriptum, nam *Simon* quinque literas habet: ergo noſtra argumentatio à literis nominis *Joſeph* non eſt bona. Diſtinguo maiorem: conſtantia quinque literis, vt manifeſtantibus vnitatem in eadem Sacra Familia, & Trinitate terreſtri, nego; conſtantia vt cumque, concedo: etenim myſterium literarum non materialiter, ſed ex myſtica ſignificatione æſtimari debet: ea autem eſt, vt denotetur tam arcta vnitas inter Sacræ Familiæ Perſonas, vt neque in numero literarum nomina diſcrepent; & in eo numero detur ſimilitudo, cum Scriptura libri Vitæ Gloriæ. Hæc autem omnia nominibus *Jeſu Maria Joſeph*, & non nomini *Simon*, aut alijs, aptè conveniunt. Hinc patet ad reliqua.

Argumentum ſextum: Nomina *Joachim*, & *Anna*, potius quam *Joſeph* debent ex meritis Mariæ eſſe ſcripta poſt illam in libro Vitæ Gloriæ, cum maiorem amorem, quam Joſeph debuerit illis, vt pote Parentibus, Maria impendere: ergo primum nomen poſt Mariam ſcriptum in libro Vitæ Gloriæ non eſt Joſeph. Nota cum Patre Azor Inſtitu. moral. tom. 2. part. 2. lib. 12. cap. 4. ex Sto. Thom.

2. 2. quæſt. 26. art. 11. quod ſi attendatur *ordo ſecundum objectum Charitatis*, magis diligendi ſunt Parentes, quam Maritus, & Vxor, nam illi ſunt ſimiliores Deo, à quo medijs illis vita præſtatur: Si autem attendatur *ordo ſecundum conjunctionem inter diligentem, & rem dilectam*, magis quam Parentes, diligendus Maritus ab Vxore, & hæc à Marito, quia cum ſint *vna caro*, maior inter eos conjunctio intercedit.

Atque hoc ita eſt loquendo de alijs conjugatis; non autem de Maria, & Joſeph: nam Maria etiam attento *ordine ſecundum objectum Charitatis* magis debuit diligere Joſeph, quam Joachim, & Annam: nam ille præ his ſimilior eſt Deo, propter Paternitatem Vnigeniti ſui, quam illi Pater æternus communicavit. Hinc in forma ad argumentum diſtinguo antecedens: poſt illam immediatè, nego; mediatè, nimirum, ſtatim poſt S. Joſeph, concedo, & nego conſequentiam. Ad probationem antecedentis in eo clauſam, nego totum aſſumptum propter dicta in notatione.

SECTIO II.

DE EXCELLENTIA DIGNITATIS, ad quam Prædeſtinatus eſt Sanctus Joſeph.

ALtiſſima dignitas S. Joſeph ſtat in eo, quod fuerit à Deo electus, vt eſſet Pater putativus Vnigeniti Filij ſui, eiusque Nutritius, qui illum

illum aleret, veſtiret, portaret in vlnis, ab hoſtibus defenderet, in itineribusque, ac laboribus comitaretur: atque vt eſſet verus Sponſus Genitricis Dei, eiusque quodammodo Dominus, ac ſuperior, cuſtosque fidiſſimus, ac demum Sacræ Familiæ caput: cuius vt dignoſcatur quanta ſit excellentia Dignitatis, duo in hac ſectione quærenda ſunt. Primum, an ea ſit maxima, & ſuprema inter omnes dignitates creatas, excepta ſolum Dei Maternitate? Secundum, an in aliquo ſenſu ſit infinita? Pro reſolutione igitur harum quæſtionum.

Præmitto primo: quod cum omnis creata dignitas ſit de genere morali, vt pote in exiſtimatione conſiſtens, fundata tamen in aliquo vero titulo, vt eſt v. g. dignitas Imperatoria: non diſquiritur, an dignitas S. Joſeph ſit infinita in *genere phyſico*, ſed tantum in *genere morali*, fundata in veris titulis nuper propoſitis? Secundo, quod infinitum in aliquo genere, eſt quod omnes partes, etiam infinitas generis illius in ſe formaliter, vel æquivalenter continet; ita vt ſi omnes perfectionis gradus enumerentur, nunquam perveniri poſſit ad vltimum. Et quæritur: an talis ſit intra genus dignitatis puræ creaturæ conceſſæ S. Joſeph Dignitas?

Præmitto tertio: quod dignitas S. Joſeph eſt de ordine ſupernaturali hypoſtatico, nam eius iam enumerata miniſteria proximè attingunt vnionem hypoſtaticam, à Deoque ſunt ordinata, vt illi inſervirent. Itaque ſicut dignitas Matris Dei, quia eſt in ordine ſuperiori ad reliquas alias, perfectior eſt

omnibus illis, pariter dicendum eſſe de S. Joſeph dignitate, exiſtimat Eximius Doctor, tom. 2. in 3. part. q. 29. diſp. 8. ſec. 1. in fine. Attamen cum in ordine hypoſtatico (qui eſt immediata conjunctio cum Deo per ſubſtantialem vnionem, & proximè ſequitur ad ordinem divinum, in quo divina natura participatur per identitatem à tribus Perſonis) Primo loco ſit Chriſtus, & ſecundo Maria, tertium, & infimum occupat S. Joſeph. Iam ſit.

Prima concluſio: Dignitas S. Joſeph eſt maxima, & ſuprema inter omnes dignitates creatas, & puræ creaturæ conceſſas, excepta ſolum Maternitate Dei. Huius concluſionis fundamenta ponit Pater Suarez loco citato, & propter illa iudicat, non eſſe improbabilem; verum rationes, quas affert, & aliæ, quas iam ſubjiciemus, ſatis probabilem, & tutam demonſtrant. Probatur igitur concluſio ex Scriptura: nam Pſ. 104. dicitur: *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ*, quem textum accommodat Eccleſia S. Joſeph, & ſic ſentit S. Bernardus homi. 3. ſup. *Miſſus eſt*, dicens, eum fuiſſe, *ſervum fidelem, & prudentem, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni concilij coadjutorem fidiſsimum, vt non immerito illi accommodari poſſit, quod de alio Joſeph ſcriptum eſt, conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Domus autem Dei reſultat ex Jeſu, Maria, & Joſeph tanquam Domino.

Tum ſic: Nulla eſt dignitas creata etiam Angeli,

geli, Præcurſoris; aut Apoſtoli, cuius poſſeſſori concedatur dominatio ſupra Filium Dei, & Mariam; ſed dignitas S. Joſephi talis eſt, vt vi illius Dominationem exerceat circa Filium Dei, & Mariam, nam hæc eſt domus Dei: ergo nulla eſt dignitas creata, quæ non ſuperetur à dignitate S. Joſeph, ac pro inde ea eſt maxima inter omnes, & ſuprema. Vlterius primo: de Angelorum dignitate, & Præcurſoris, qui Angelus dictus eſt, Malach. 3. ibi: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Apoſtolus ad Hebræos 1. ait: *Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?*

Quibus ex verbis, hanc ego efficacem argumentationem conficio: Nullius Angeli eſt tanta dignitas, vt illi dixerit Deus, *Filius meus es tu*: ergo nullius Angeli eſt tanta dignitas, vt ille dixerit Deo, *Pater meus es tu.* Eſt evidens, nam *Pater*, & *Filius* ſunt correlativi; atqui dignitas S. Joſeph tanta eſt, vt Filius Dei illi dixerit, *tu es Pater meus*, & ille Filio Dei, *Filius meus es tu*: ergo dignitas S. Joſeph eſt ſupra omnem dignitatem Angelorum. Aliter: ſicut nullius Angeli eſt tanta dignitas, vt Deus illi dixerit, *Filius meus es tu*, ita nec tanta, vt ille dixerit Verbo vnigenito Patris, *Filius meus es tu*; atqui dignitas S. Joſeph tanta eſt vt Verbo vnigenito Patris dixerit, *Filius meus es tu*: ergo dignitas S. Joſeph eſt maxima & ſuprema inter Angelicas.

Secundo de dignitate Apoſtolica, ſic: Dignitas Apoſtolorum habet ex Chriſti ordinatione annexum principatũ omnis terræ iuxta illud Pſal. 44:

Con-

Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram : Dignitas autem S. Joſeph habet ex Dei ordinatione annexum Principatum omnis poſſeſſionis Dei tàm principalis, quàm minus principalis iuxta illud, *conſtituit eum Principem omnis poſſeſsionis ſuæ*; atqui maior eſt Principatus omnis poſſeſſionis Dei, in qua principaliter includitur Jeſus & Maria, quam principatus omnis terræ, vt eſt ex terminis notum: ergo maior eſt dignitas S. Joſeph, quam dignitas Apoſtolorum. Tertio: magis dilectum inter Apoſtolos, & Evangeliſtas extulit Chriſtus ad dignitatem Filij Mariæ, & Fratris ſui dicẽs, Joan. 19. *Ecce Mater tua*; atqui maior eſt dignitas *Patris*, quam *Fratris*, & Deus extulit S. Joſeph ad dignitatem *Patris* Filij ſui: ergo maior eſt dignitas S. Joſeph, quam Apoſtoli magis dilecti, ac per conſequens, quam reliquorum, quos etiam *Fratres* vocavit.

Probatur jam concluſio ratione Eximij Doctoris ſup. Dignitas alicuius Perſonæ ſumitur ex miniſterijs; ad quæ deſtinatur; atqui miniſteria, ad quæ deſtinatus eſt S. Joſeph ſunt altioris ordinis, quam miniſteria, ad quæ deſtinati ſunt Angeli, Præcurſor, & Apoſtoli; idemque intellige de Patriarchis, & Prophetis, nam fuere proximè conjuncta cum Perſona Verbi divini: ergo dignitas S. Joſeph eſt ſuprema inter illorum dignitates. Vlterius: Dignitas; quæ magis accedit ad dignitatem Matris Dei, eſt maior illa, quæ non accedit; atqui Dignitas S. Joſeph magis, quam dignitas Angelorum, Præcurſoris, & Apoſtolorum accedit ad dignitatem

Ma-

Matris Dei, propter miniſteria circa vnionem Hypoſtaticam: ergo eſt maior. Denique ſi alias rationes, & authoritates deſideras, vide P. Morales lib. 3. tract. 8. à numero 26. vbi noſtram ſententiam propugnat, & eruditè probat cum P. Suar. qui in re nobis favet.

Secunda concluſio: Dignitas S. Joſeph eſt quodammodo infinita in genere morali, ita, vt gradus perfectionis illius, nullus intellectus creatus numerare poſſit. Probatur concluſio ex Scriptura, hac forma: Quod eſt quodammodo ſupra infinitum aliquod ſimpliciter tale, quanvis abſolutè ſit inferius, non poteſt non eſſe quodammodo infinitum, vt videtur evidens; atqui dignitas S. Joſeph, quanvis abſolutè ſit inferior, eſt quodammodo ſupra dignitatem Matris Dei, quæ quidem eſt ſimpliciter infinita in genere morali, vt teneo, & probo cum pluribus Sanctis Patribus, & Doctoribus, lib. de Beata Virg. diſſ. 2. ſec. 6: ergo eſt quodammodo infinita. Probatur minor: quod ex modo loquendi Beatæ Virginis, licet abſolutè ſit inferius, eſt ſupra dignitatem ipſius, eſt quodammodo ſupra dignitatem Matris Dei; ſed Paternitas, ſeu dignitas S. Joſeph, ex modo loquendi Beatæ Virginis eſt ſupra dignitatem ipſius; nam ipſa Luc. 2. ait: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, vbi Paternitatem Joſeph anteponit Maternitati ſuæ: ergo dignitas S. Joſeph, &c.

Vlterius: Beata Virgo non dixit, *Pater tuus, & Mater tua*; ſed *Pater tuus, & ego*: ergo in conſpectu

pectu Paternitatis Joſeph noluit apparere Maternitatem ſuam; ſed hoc eſt quodammodo extollere dignitatem Joſeph ſupra ſuam dignitatem : ergo quodammodo extulit, ac pro inde ea eſt quodammodo ſupra dignitatem Matris Dei. Probatur deinde concluſio ratione: eo modo, quo aliquis eſt Pater, eſt æqualis Filio, nam iuxta S. Hilarium: *Omnis Filius æqualitas Patris eſt;* atqui S. Joſeph quodammodo eſt Pater Chriſti, nimirum, *exiſtimativè,* ſeu in opinione hominum : ergo quodammodo eſt æqualis Filio ſuo;ſed dignitas Filij Joſeph eſt ſimpliciter infinita : ergo dignitas Joſeph, quãvis abſolutè ſit inferior, & ſummè diſtans à dignitate Filij ſui (vti re vera eſt) eſt æqualis dignitati ſimpliciter infinitæ, ac pro inde eſt quodammodo infinita, *quia nullum finitum poteſt eſſe æquale infinito.*

Adnota demum primo : quod conſulto diximus, dignitatem S. Joſeph eſſe infinitam, *quodammodo*, & non *ſimpliciter*; quia iuxta omnes Philoſophos, & Theologos cũ S. Thom. licet inter infinita *quantitatis molis* poſſit dari vnum maius, *materialiter* alio; at non ita in infinitis *perfectionis* : vnde reſpectu vnius infiniti *perfectionis* non poteſt dari maius; atqui dignitas *Patris*,& *Matris* eſt de genere *perfectionis*, & maior eſt dignitas maternitatis Dei, quam Paternitatis S. Joſeph, vti eſt certum : ergo dignitas S. Joſeph ſolum poteſt eſſe *quodammodo*, & non *ſimpliciter* infinita. Secundo : quod in hac quæſtione non loquimur de Sanctitate, & Gratia S. Joſeph comparativè ad alios Sanctos : de hoc

enim

enim agemus diſſ. 4. ſec. 3. Verum argumenta ibi ponenda, hic videri omnino debent, ne forte mutatis vocibus hic obijciantur. Nunc autem ea ſolum, quæ immediatè contra præjactas concluſiones militant proponemus, & extricabimus.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum contra primam concluſionem: Alicui Angelo conceſſum eſt, vocare Jeſum Filium ſuum: ergo ratio noſtra pro ſuperioritate dignitatis S. Joſeph comparativè ad dignitatem Angelicam nulla eſt. Probatur antecedens: nam illa vox, quæ Matth. 3. & 17. in Transfiguratione, & Baptiſmo Domini è Cœlis intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus* ab Angelo prolata eſt: ergo alicui Angelo, &c. Præmitto ad ſolutionem primo: quod illa vox non ab aliquo Angelo; ſed immediatè à Patre æterno proceſſit. Ita enim ſentit D. Thom. 3. part. quæſt. 39. art. 8. ad 2. & alibi: pariterque Sancti Aug. Fulg. & Cyprianus lib. de Baptiſmo, inquiens: *Hucvſque Domine S. Pater non audivimus te ita loquentem vt perſonaliter tibi aſsignetur loquutio, quam proferres. Hanc vocem à tua Paternitate delatam, nemo eſt, qui ambigat: non eſt, qui ſibi hoc verbum audeat arrogare.*

Quia tamen graves Authores, vt videre eſt apud P. Salmeron, tom. 4. p. 1. tract. 6: eam vocem defendunt ab Angelo prolatam fuiſſe. Præmitto ſecundo: quod Angelus illam vocem non pro-

tulit, vt *in Perſona propria;* ſed *vt in Perſona Dei,* qualiter factum eſt etiam, quãdo S. Michaël Moyſi dixit: *Ego ſum, qui ſum, Deus Abraham, &c.* At vero S. Joſeph, vt *in Perſona propria*, dicere poterat, & dicebat Chriſto: *Tu es Filius meus*, nam Paternitatem Jeſu Deus illi concelſerat, ideóque maior dignitas illius, quam Angeli eſt. Hinc in forma, vel iuxta primum præmiſſum, nego antecedens argumenti, & etiam probationis: vel iuxta ſecundum nego antecedens,& probationem diſtinguo: ab Angelo prolata eſt vt in propria Perſona, nego; vt in Perſona Dei, concedo, & nego conſequentiam.

Argumentum ſecundum: Matthæi 11. dixit Jeſus de ſuo Præcurſore Sanctiſſimo: *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Joanne Baptiſta*: ergo dignitas Joſeph non eſt maior dignitate Præcurſoris. Nota: quod S. Lucas cap. 7. addidit hoc Verbum *Propheta*, dicens, *Maior inter natos mulierum Propheta Joanne Baptiſta nemo eſt.* Inde P. Cardinalis Toletus cum Sanctis Ambroſio, & Hilario, tenet, Chriſtum Dominum non vocaſſe Joannem *maiorem abſolutè;* ſed tantum *comparativè ad Prophetas.* Quod ſi velis cum P. Cornelio textum intelligere comparativè ad Sanctos veteris Teſtamenti; dicere potes, non loqui de illis, qui proximè ſunt in ordine hypoſtatico, vti eſt S. Joſeph, nam hi ſunt de ordine ſuperiori. Hinc explica textum cum S. Luca, maior *abſolutè*, nego; maior *comparativè* ad Prophetas, concedo; vel etiam comparativè ad Sanctos veteris Teſtamenti, non pertinentes proximè ad hy-

po-

poſtaticũ ordinem, & ſic neganda eſt conſequentia.

Argumentum tertium: Dignitas S. Joſeph non eſt maior dignitate Apoſtolica: ergo non eſt ſuprema inter dignitates creatas. Probatur antecedens: magnitudo dignitatis menſuratur ex muneribus, & miniſterijs, ad quæ deſtinata eſt; atqui dignitas Apoſtolica deſtinata eſt ad miniſteria altiora, quam dignitas S. Joſeph: ergo dignitas S. Joſeph, &c. Probatur minor, primo ab authoritate: nam S. Anſelmus, Matth. 3. ait. de Joanne Baptiſta officio miniſterij fuiſſe minorem Apoſtolis, & reddit rationem: *Maius enim miniſterium non fuit, quam Apoſtolatus*, & ſic ſentit S. Thom. ſuper eumdem Matthæi locum: ſicque aliqui interpretantur verba illa Pauli ad Rom. 8: *Nos autem primitias ſpiritus habentes* in miniſterio ſcilicet, & officio, iuxta illud ad Epheſ. 1: *Secundum divitias gratiæ eius, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia, & prudentia, &c.* ergo dignitas Apoſtolica deſtinata eſt, &c.

Probatur ſecundo minor eadem à ratione: Miniſteria Apoſtolatus ordinata ſunt quaſi ad generandum Chriſtum in mentibus Fidelium, & ad procreationem Filiorum Dei, qui finis eſt altiſſimus, cum ſit ad opera ſpiritualia; atqui miniſteria S. Joſeph erga Jeſum pertinebant ad opera miſericordiæ corporalia: ergo dignitas, &c. Vlterius: certum videtur, miniſteria legis Gratiæ attigiſſe ſupremum gradum perfectionis, & dignitatis, & in hac lege primus, & digniſſimus gradus ex inſtitutione Chriſti fuit Apoſtolicus, iuxta illud 1. ad Corint. 12:

Poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, qui propterea, Apoc.21.& ad Epheſ. 2: *Fundamenta Eccleſiæ* appellantur: ergo quia dignitas Apoſtolica, &c.

Ad hoc argumentum reſpondet Eximius Doctor ſup. quod: *probabiliter dici poteſt, hæc munera* (ſcilicet S. Joſeph, & Apoſtolorum) *eſſe quodammodo diverſorum ordinum, & ideo non poſſe tam propriè comparari, habere tamen ſe mutuo, ſicut excedens, & exceſſum.* Quæ optima ſanè ſolutio tanti Doctoris, vt rectè intelligatur, & explicetur, præmittendum eſt: quod vnum extremum poteſt eſſe *entitativè, ſeu quo ad ſuam entitatem* maius alio, & ſimul inferius illo, *quoad ordinem* in quo collocatur. Res clareſcit exemplo: nam Theologi communiter ex Scriptura, & Patribus tenent in tractatu de Incarnatione, nullam puram creaturam, etiam infinita gratia ornatam, poſſe condignè ſatisfacere, pro mortali, quia merita vel maxima cuiuſvis Juſti non poſſunt æquare malitiam *lætalis*, quod eſt in ſuperiori ordine reſpectu illorum.

Ratio autem eſt: quia licet ea merita ſint *entitativè* maiora, quam peccatum, quod iuxta Patres; eſt *nihil*, & ſi ſuam bonitatem tranſcendentalem habeat: attamen ob ſuperioritatem ordinis, in quo eſt, ab vno tantum lætali exceduntur: quæ quidem ſuperioritas *ordinis* fundatur in conceptu offenſæ habentis modum repugnandi gravem, dignitati divinæ nimirum modum *contemptus;* ideoque talis ſuperioritas refunditur in peccatum à dignitate Dei offenſi. Pariter in noſtro caſu dicendum eſt, miniſteria

Apo-

Apoſtolica excedi à miniſterijs S. Joſeph ob ſuperioritatem ordinis, ſcilicet hypoſtatici in quo ſunt, nam excercentur immediatè circa Perſonã Verbi Divini.

Inde ſicut malitia peccati mortalis propter repugnantiam, quam dicit ad dignitatem Dei, ſemper eſt *in ordine ſuperiori* reſpectu meritorum Juſti, quávis ea ſint entitativè ſupernaturalia dignificata à Gratia, meritoria vitæ æternæ, & obſequioſa Deo: Ita miniſteria S. Joſeph propter convenientiam ad Perſonam divinam Chriſti, & vnionem Hypoſtaticam, ſemper ſunt *in ordine ſuporiori*, exceduntque Apoſtolica miniſteria, licet illa ſint ſpiritualia, & altiſſima quoad entitatem ſuam. Ex his in forma ad argumentum, nego antecedens, & diſtinguo minorem probationis: dignitas Apoſtolica deſtinata eſt, ad miniſteria altiora, *quo ad entitatem*, concedo; *quo ad ordinem*, nego: & ſic intelliguntur authoritates probantes minorem: ad cuius probationem à ratione diſtinguo minorem: pertinebant ad opera miſericordiæ corporalia immediatè exercita circa Perſonam Verbi Divini, ac pro inde poſita in ordine ſuperiori, concedo; non ita exercita, nego. Ad id quod additur, diſtinguo antecedens; attigiſſe ſupremum gradum reſpectivè ad dignitates poſitas in ordine ſuperiori hypoſtatico, nego, ad alias, concedo.

Sed contra: miniſterium ordinis ſacerdotalis, nimirum conſecratio corporis, & ſanguinis Chriſti, proximè attingit Perſonam Verbi: ergo dignitas Sacerdotalis, quæ primum data eſt Apoſtolis, eſt in ordine æquali cum dignitate S. Joſeph, ac per conſequens

quens hæc non eſt ſupra omnem dignitatem Apoſtolicam. Nota pro ſolutione ex S. Joanne Chryſoſtomo, homi. 60. ad populum Anthioquenum, aiente: *Non ſunt humanæ virtutis opera, hæc quæ proponuntur: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit: nos miniſtrorum tenemus locum; qui vero ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt*, quod miniſterium Sacerdotale nõ eſt *Paternum*, & ex perſona propria, ſed purè *miniſteriale*, ideoque quando Sacerdos pervenit ad conſecrationem, non loquitur *in propria perſona*, ſed *in Perſona Chriſti*: at miniſteria ſua S. Joſeph tanquam Pater circa vnionem hypoſtaticam *in perſona propria* exercebat; atque adeo erant *in ordine ſuperiori*, in quo Sacerdotale miniſterium non eſt. Hinc negatur conſequentia, & data eſt diſparitas

Argumentum quartum contra ſecundam concluſionem: D. Tho. 1 p. q. 25. art. 6 ad 4. ait: *Beata Virgo ex eo, quod eſt Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod eſt Deus.* Et Dioniſius Cartuſianus ſerm. 1. de Conceptione, inquit: *Aſſerunt quidam magni Theologi, quod ratione huiuſmodi maternæ fœcunditatis Beatiſsima Virgo Maria ſit dignitatis quodammodo infinitæ.* Ex quibus authoritatibus, hanc efformo argumentationem: Dignitas Beatæ Virginis ratione Maternitatis eſt ſolum aliquo modo infinita, ibi: *quandam*, *quodammodo*; atqui ſuperat dignitatem S. Joſeph: ergo dignitas S. Joſeph, ratione Paternitatis non eſt aliquo modo infinita. Nota: quod, vti diximus lib. de Beat. Virg. diſſ. 2. ſex. 6. ly *quandam* D. Thom.

&

& ly *quodammodo* Cartuſiani, non excludunt infinitatem *ſimpliciter* talem à Dignitate Matris Dei, ſed ſolum denotant, quod Maternitatis infinitudo non eſt *in eſſe phyſico*: Indeque dignitas Matris Dei manet infinita ſimpliciter *in eſſe morali*, qualiter non eſt dignitas S. Joſeph: Hinc diſtinguo maiorem: ſolum aliquomodo per excluſionē infinitatis *in eſſe phyſico*, concedo; ſimpliciter *in eſſe morali*, nego, & conceſſa minore, nego conſequentiam.

Argumentum quintum: S. Joſeph ſolum in exiſtimatione hominum fuit Pater Chriſti; ſed hæc exiſtimatio non poteſt facere, vt Perſona divina refundat aliquam infinitatem in Patris dignitatem: ergo non refundit, ac pro inde ea non eſt quodammodo infinita. Nota: quod infinitudo non refunditur in dignitatē Joſeph ab hominū opinione, ſed à titulo, in quo ea fundatur, nimirum electione Dei, vt eſſet Pater Vnigeniti ſui, excercēdo paterna munera erga vnionem hypoſtaticam. Hinc diſtinguo minorem: hæc exiſtimatio nudè, & ſecundum ſe præciſè ſumpta non poteſt facere, &c. concedo; vt ſub divina electione deſtinante Joſeph ad paterna miniſteria, & officia, nego.

Argumentum ſextum: Dignitas Vnigeniti Dei non minus eſt in ordine ſuperiori, quam in ordine ſimpliciter infinito; ſed quia eſt in ordine ſuperiori communicat Joſeph dignitati eſſe in ordine ſuperiori: ergo quia eſt in ordine ſimpliciter infinito communicat Joſeph dignitati, infinitudinem ſimpliciter talem, ac pro inde ea eſt *ſimpliciter*, &

non

non *quodammodo* infinita, contra concluſionem. Nego conſequentiam, & eſt diſparitas: quia vt dignitas Joſeph ſit in ordine ſuperiori ad alias dignitates, ſufficit quod eius miniſteria immediatè exerceantur circa Perſonam divinam Chriſti, aſcendantque proinde ad vnionem hypoſtaticam, ordinemque illius; at vero vt ſit in ordine ſimpliciter infinito, requiritur, quod in ſua linea, nulla alia dignitas ſit maior; atque id non ita eſt, cum Dignitas Matris Dei maior ſit, vti in fine ſectionis annotavimus.

Ex præiactis autem hucvſque tam pro noſtræ ſentẽtiæ probatione, quam pro contrarijs argumentis ſolvendis, clarè cognoſcitur, quãta ſit piæ huius opinionis probabilitas. Neque illi poteſt obeſſe, quod Theologos inter, qui lucubrationes ſuas prælo mandarunt, ſolum Doctor Eximius, & Pater Morales ſupra citati eam exprofeſſo tractent, & defendant: ideo enim hoc accidit, quoniam præter hos nullus Scholaſticorum (quem ego viderim) de S. Joſepho Theologicum tractatum ſcripſerit. Spero tamen fore, vt plures ingentem, quem nos pro S. Joſeph honore, laborem ſuſcepimus, fœliciore ſorte, atque eruditiore calamo proſequantur; aliaque, quibus ſententia noſtra firmetur, ac potiora fundamenta adinveniant. Nunc vero ſit.

* * * * *

SE-

SECTIO III.

DE PERFECTIONE, ET TERMINIS *Prædeſtinationis S. Joſeph.*

PRæmitto primo: quod inter divinos actus, tum intellectus, tum voluntatis nullus poteſt eſſe *entitativè* perfectior alio, nam omnes realiter identificantur cum tota perfectione divina, & æquè illam participant. Inde vnus Dei actus ſolùm poteſt dici perfectior alio duplici modo. Primo, *ex conceptu ſuo*, quatenus ſi præciſè attendatur cóceptus metaphyſicus, & definitivus vnius, apparet ratione noſtra perfectior alio ſic amor, quo Deus ſe amat perfectior eſt *ex conceptu ſuo*, quam amor, quo iuxta dicta Tract. de Volun. amat creaturas adæquatè propter ipſas, nam ille movetur ex altiori motivo, quam hic, nimirum ex bonitate divina propter ipſam.

Secundo, *terminativè*, quatenus vnus actus reſpicit excellentiores terminos, quam alius, ideóque *ex parte termini* perfectior eſt: ſic cognitio terminata ad Angelum eſt terminativè perfectior, quam terminata ad Formicam. Ex inde fit, quod quando quærimus, vt hic, an Prædeſtinatio alicuius Sancti ſit alia perfectior, non loquimur de maiore perfectione *entitativè* ſumpta, ſed tantum *terminativè*. Iam vero, quia Deus ad omnem operationem ſuam dirigitur æternis Idæis, ac pro inde & ad Prædeſtinationem; de illis aliqua neceſſario ſunt

præ-

præmittenda ne Scholaſtici, vt quæſtionem percipiant, libros alios cogantur evolvere.

Præmitto ergo ſecundo: quod *Idæa*, quæ iuxta D. Aug. idem eſt apud Græcos; quod apud Latinos *Forma*, communiter vſurpatur pro eodem, ac *exemplar*, & hoc ita definitur à Philoſopho lib. 1. Metaph. Cap. 7: *id in quod reſpiciens Artifex operatur*, nimirum eſt illa forma ab Artifice imitabilis in ſuo artefacto, ſeu quam in operatione ſua imitari contendit. Cum autem duplex diſtinguatur exemplar, aliud *externum*, vti eſt v. g. Imago, quam ſibi Pictor proponit exprimendam in tabula; aliud vero *internum*, quod in mente efformatur: fit, quod Idæa ſolum pro interno exemplari accipiatur; ideoque Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. ait: *Mentem eſſe locum idæarum*: Atque inde Idæa diſtinguitur ab exemplari, nam hoc ſæpe ſumitur pro externo.

Præmitto tertio: Certum eſſe apud omnes Patres, Theologos, & Philoſophos, in mente divina exiſtere creaturarum Idæas; quas D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum quæſt. 46. vocat, *Principales formas quaſdam, vel rationes rerum ſtabiles, atque immutabiles.* Quarto: certum etiam apud omnes eſſe, quod Deus ad producendas creaturas non habet exemplar externum, atque hoc eſt, Idæas divinas, nõ eſſe aliquid poſitum extra Deum, ad quod ipſe reſpiciens operetur, ſed eſſe quid intra Deum poſitum, reſidensque in mente divina. Id autem clarè D. Aug. expreſſit ſupra, inquiens: *Has autem rationes, vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente Creatoris? Non enim ex-*

tra

tra ſe quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat; nam hoc opinari ſacrilegum eſt.

At vero, quia omnis Artifex, quando aliquod ex arte molitur opus, duo habet in mente, videlicet *objectum*, quod ſibi proponit imitandum, & *cognitionem*, qua ſibi proponit illud: Quibus ex duobus *cognitio* exiſtit in mente ipſius, exiſtentia *phiſica*, & dicitur *conceptus formalis*, atque etiam *objectum*, quod dicitur *conceptus objectivus* in ipſius mente exiſtit exiſtentia *objectiva*, ſeu *intentionali*: Inde controverſia exoritur, an in vno tantum ex his duobus, an in vtroque, divina Idæa adæquatè ſumpta conſiſtat? Quam quidem quæſtionem iam olim tract. de Scientia abſoluta diſſ. 5. ſec. vltim. exprofeſſo diſcuſſam, breviter hic pro Scholaſticorum Captu, & commodo reſolvam.

Præmitto igitur quinto: cum PP. Carlet. tom. 1. diſp. 25. ſec. 2 Oviedo cōtrov. 11. Phyſicæ punc. 3. Izqui. diſp. 29. q. 2. prop. 5. Lince, Herr. & alijs contra Thomiſtas, & Scotiſtas: quod Idæa divina formaliter adæquatè reſultat ex *formali*, nimirum cognitione Dei de creaturis vt factibilibus ab ipſo; & ex *objectiva*, ſcilicet ipſis creaturis factibilibus, atque in mente divina intentionaliter exiſtentibus.

Aſſertum patet, tum ex D. Auguſt. ſupra vocante divinas Idæas *formas*, ſeu *rationes* in mente divina exiſtentes; atqui *forma* exiſtens in mente eſt Idæa objectiva; & *ratio rei* eſt cognitio, ſeu propoſi-

tio ipſius: ergo iuxta Auguſt. Idæa divina adæquatè conſtituitur ex formali, & objectiva. Tum ex D. Thom. 1. p. q. 15. art. 2. corp. aiente: *Vnde plures Idææ ſunt in mente divina, vt intellectæ ab ipſo*; atqui Idææ vt *plures* sũt Idææ objectivæ, quæ tot sũt, quot objecta; & Idææ *vt intellectæ* ſunt Idææ formales, nimirum, divinæ cognitiones: ergo Idæa ex vtriſque reſultat, iuxta S. Thom. Iam vero.

Noſtra concluſio eſt: Prædeſtinatio S. Joſeph eſt perfectior omnibus alijs Prædeſtinationibus, excepta tantum Prædeſtinatione Chriſti, & Mariæ. Probatur concluſio: Idæa divina eſt vnum ex conſtitutivis Prædeſtinationis: ergo quo perfectior erit Idæa, cæteris paribus, perfectior erit Prædeſtinatio. Eſt evidens. Subſumo: atqui Idæa, quam Deus habuit de S. Joſeph, eſt perfectior omnibus alijs Idæis, excepta Idæa Chriſti, & B. Virginis: ergo Prædeſtinatio S. Joſeph eſt perfectior omnibus alijs Prædeſtinationibus, excepta Prædeſtinatione Chriſti, & Mariæ.

Probatur prius antecedens: id, quod dirigit Deum ad operationem ſuam per Prædeſtinationem faciendam eſt conſtitutivum Prædeſtinationis, vt patet in Scientia ſimplicis intelligentiæ, & Media, atqui Idæa tam formalis, quam objectiva dirigit Deum, vt Supremum Artificem ad operationem ſuam per Prædeſtinationem faciendam: ergo eſt conſtitutivum Prædeſtinationis. Probatur minor: Idæa formalis, ſeu cognitio proponit, & quaſi mentaliter format id, quod per operationem Artificis ex-

exprimendum eſt; Idæa autem objectiva, ſeu obje-ctum ſe objicit, & præbet Artifici, vt imitabile, & exequibile; ſed hoc formaliſſimè eſt dirigere: ergo Idæa tam formalis, quam objectiva, &c.

Probatur iam prima minor ſubſumpta: Idæa S. Joſeph *objectiva* conſtituitur ex terminis à Deo in ipſo factibilibus; & *formalis* eſt cognitio de illis terminis vt factibilibus à Deo; atqui termini facti-biles â Deo in S. Joſeph, qui ſunt termini Prædeſti-nationis illius, ſunt perfectiores omnibus alijs ter-minis, ad quos alij Sancti, præter Chriſtum, & Ma-riam, ſunt Prædeſtinati; & pro inde cognitio de illis eſt perfectior etiam modo dicto in primo præ-miſſo: ergo Idæa quam Deus habuit de S. Joſeph eſt perfectior, &c. Probatur minor: quia termini factibiles à Deo in S. Joſeph, & qui ſunt termini Prædeſtinationis illius, ſunt Paternitas Filij Dei, Deſponſatio cum Dei-Genitrice, Dominium ſupra vtrumque, & reliqua ſupra ſec. 2. relata; atqui tales termini ſunt perfectiores omnibus alijs, vt patet ex dictis eadem ſec. 2. & ex poſtea dicendis amplius conſtabit: ergo termini factibiles à Deo in S. Jo-ſeph, &c.

Sed contra argues primo: falſum eſt, quod Idæa divina conſtituatur ex creatura, vt factibili à Deo: ergo termini Prædeſtinationis S. Joſeph non conſtituunt Idæam divinam de illo, & ruit conclu-ſionis probatio. Probatur antecedens: quia PP. ſæpe dicunt, eſſentiam divinam eſſe creaturarum Idæam: ergo falſum eſt, &c. Præmitto ad ſolutio-

nem

nem ex P. Izquier. ſupra n. 26: quod quando PP. dicunt, eſſentiam divinam eſſe creaturarum Idæam, loquuntur de eſſentia vt *ſapiente*, ſeu vt *cognoſcente* creaturas pro vt à Deo factibiles: ac pro inde interpretandi ſunt de Idæa *formali*, non de *objectiva*, vti volunt Thomiſtæ, quorum eſt argumentum.

Quod ſi intelligantur de Idæa adæquata, interpretandi ſunt de eſſentia cognoſcente creaturas factibiles in *complexo*: hoc autem *complexum* involvit Idæam *formalem*, nimirũ *cognitionem*, & *objectivam*, videlicet creaturas. Nunc in forma ad argumentum, nego antecedens, & diſtinguo antecedens probationis: PP. dicunt, eſſentiam divinam *ſecundum* ſe præcisè ſumptam, eſſe creaturarum Idæam, nego; vt *ſcientem*, ſubdiſtinguo: eſſe Idæam *objectivam*, nego; *formalem*, concedo.

Argues ſecundo: Idæa divina eſt cauſa exemplaris creaturæ; ſed creatura nequit eſſe cauſa ſui ipſius: ergo nequit conſtituere Idæam divinam, ac per conſequens non eam conſtituunt termini Prædeſtinationis Sancti Joſeph. Præmitto ad ſolutionem primo: quod quando Deus creaturam efficit, ad eius effectionem concurrunt dirigendo, & movendo, tum ipſa creatura, pro vt objectivè, ſeu intentionaliter exiſtens in divina mente, concurſu quidem in genere cauſæ exemplaris, nam Idæa iuxta D. Auguſt. ſonat quandam *formam* exemplarem, & munus formæ exemplaris potius, quam alteri, ipſi objecto convenit: tum cognitio divina de ipſa creatura pro vt factibili à Deo, cum talis cognitio, iux-

iuxta omnes, dirigat Deum ad creaturæ effectionem.

Præmitto ſecundo: quod ſicut cauſa finalis, vt *intentionaliter exiſtens* eſt prior ſe ipſa, & ſui ipſius cauſa *ſecundum eſſe phyſicum*, quatenus movet ad ponenda media, quibus ſuum eſſe phiſicum ponitur in executione: Ita cauſa exemplaris, licet ſecundum ſuum eſſe phiſicũ nequeat eſſe cauſa ſui ipſius quoad tale eſſe; attamen ſecundum ſuum eſſe intentionale poteſt ſui eſſe cauſa quoad eſſe phiſicum, quatenus ad ſui poſitionem movet. Hinc diſtinguo minorem: creatura ſecundum eſſe phiſicum nequit eſſe cauſa ſui, quo ad eſſe phiſicum, concedo; ſecundum ſuum eſſe intentionale nequit eſſe cauſa ſui, quoad eſſe phiſicum, nego, & conſequentiam.

Argues tertio: ſi termini Prædeſtinationis S. Joſeph conſtituerent Idæam divinam, fierent ad ſimilitudinem ſui, nam eſſent cauſa exemplaris, & hæc eſt illa ad cuius ſimilitudinem effectus fit; atqui nulla entitas poteſt fieri ad ſimilitudinem ſui, cum ſimilitudo petat diſtinctionem ſimilium: ergo tales termini non conſtituunt Idæam. Præmitto ad ſolutionem: quod ſimilitudo alia eſt *ſtricta*, quæ nimirum inter extrema diſtincta datur, vt inter album A, & B: alia vero *lata*, que potius eſt identitas; taliſque ſimilitudo ſignificatur, quando dicitur, quod *Filius divinus eſt ſimilis Patri in Natura*, nam hæc ſimilitudo potius eſt identitas inadæquata, ac per conſequens lata ſimilitudo.

Deinde licet inter exemplar externum, & opus detur ſimilitudo *ſtricta*; non tamen debet dari

inter

inter exemplar internum, & opus, ſed ſufficit *lata*, ſive identitas cōpatibilis cum diſtinctione *ſtatuum*, nam ipſa creatura ſecundum *ſtatum intentionalem* eſt cauſa exemplaris ſui ipſius, & à ſe ipſa diſtinguitur ſecundum *ſtatum exiſtentialem phiſicum*, ſecundum quem eſt effectus ſui. Hinc in forma, diſtinguo minorem: nulla entitas poteſt fieri ad ſimilitudinem ſui, ſumpta *ſtrictè* ſimilitudine, concedo; ſumpta *latè*, & ſecundum diverſos ſtatus, nego: & diſtinguo etiam probationem: ſimilitudo *ſtricta* petit diſtinctionem, concedo; ſimilitudo *lata*, ſubdiſtinguo: diſtinctionem penes rem, nego; penes ſtatus, concedo.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE TITULO, ET NOMINE PATRIS *Sancto Joſeph conceſſo reſpectu Vnigeniti Filij Dei.*

TOTA, ET EA QVIDEM MAXIMA S. Joſeph dignitas præcipuè conſiſtit, & in Paternitate *Vnigeniti Filij Dei, & in* deſponſatione *cum Dei immaculata Genitrice: Quia vero titulus, ob quem putatus eſt, & appellatus* Pater *Jeſu, fuit Matrimonium cum B. Virgine digniſsima illius Matre, de eo prius, & poſtmodum de nomine* Patris, *diſputandum erit.*

SECTIO I.

AN S. JOSEPH VERÈ, ET PROPRIÈ fuerit Maritus Sanctiſsimæ Virginis?

PRæmitto primo: quod Matrimonium, & eſt *Ratum*, & eſt *conſummatum*. Ratum eſt, quod inter Perſonas habiles per verba de præſenti contrahitur, copula tamẽ carnali non conſummatur. Conſummatũ vero, quod vltra conſenſum mutuum in traditionem corporum, copula carnali completur. Et matrimonium quidem ratum verè, & propriè matrimonium eſt: nam habet vtriuſque coniu-

gis conſenſum de præſenti, & nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, vt conſtat ex vtroque jure canonico, & civili, cap. *cum locum* de ſponſ. cap. *ſufficiat*, & cap. *matrimonium* 27. q. 2. & in regula *nuptias* ff. de reg. jur. Ratio autem D. Thom. 3. p. q. 29. art. 2. corp. optima eſt, quia matrimonium ratum habet formam ſubſtantialem, ex qua ſpeciem ſortitur; reliqua autem pertinent ad operationem; per quam res aliqualiter ſuum finem attingit.

Præmitto ſecundo: quod B. Virgo ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu cum S. Joſeph nupſit: etenim cum Summus Judæorum Pontifex dubitaret, quid faciendum eſſet de Virgine, quæ propter Virginitatis votum tunc temporis inuſitatum nuptias recuſabat, omnes Populi Primores ad feſtivitatem Encæniorum congregavit, ex illorumque ſuffragio conſuluit oraculum, quod clara voce, audientibus omnibus dixit; vocandos eſſe omnes Viros ſolutos de familia, & domo David, virgas allaturos in manibus, & cuius Virga repente floreſceret, viſo ſuper eam Spiritu Sancto ſub ſpecie columbæ, ei Virginem nuptui tradendam; hoc autem in S. Joſeph impletum eſt, & illi Maria tradita in Conjugem. Quam quidem hiſtoriam affert P. Morales lib. 2. tract. 2. n. 9. & pro ea refert plures PP. & authores, vt S. Hieron. Greg. Irin. Joan. Damac. lib. 4. de fide cap. 15. Surium Metapha, Cedrenum, & alios.

Præmitto tertio: quod matrimonium S. Joſeph cum B. Virgine non fuit Sacramentum novæ legis, nam quando contractum, & morte ſolutum eſt,

eſt, non dum erant à Chriſto Domino Sacramenta inſtituta, vt bene advertit Exim. Dr. tom. 2. in 3. p. q. 39. art. 4. diſp. 18. ſec. 3. Quarto: quod tale matrimonium conveniens fuit propter plura apud Authores vulgatiſſima, vt propter honorem Virginis, ne putaretur concepiſſe ex adulterio, & Chriſti etiam, ne deſpiceretur à Judæis, vt illegitimus, haberetque cuſtodem; Nutritium, & in ſuis peregrinationibus ſolatium; ac demum vt partus Virginis celaretur Diabolo; dum putat, eum non de Virgine, ſed de vxore generatum.

Præmitto quinto: quod aliquid poteſt eſſe de fide vel *remotè*, & *quoad ſe*; vel *proximè*, & *quoad Nos*: Primum quidem quando in ſe verè revelatum eſt; deficit autem vel propoſitio Eccleſiæ, vel certitudo moralis de exiſtentia revelationis; ſola enim probabilitas non ſufficit, vt definitum eſt ab Inn. XI, damnante propoſitionem 21; vel aliquid aliud requiſitum ad potentiam proximam aſſenſus: ſecundum vero, cum nihil deficit, vt intellectus poſſit proximè aſſentiri. His ſuppoſitis quatuor hic quæſtiones diſputantur. Prima: an Matrimonium S. Joſeph cum B. Virgine fuerit verum matrimonium ratum? Secunda: an fuiſſe, ſit de fide? Tertia: an tale matrimonium fuerit inter omnia veteris legis perfectiſſimum? Quarta: an illud contraxerit S. Joſeph in ſenili, vel virili ætate? Sit ergo.

Prima concluſio cum omnibus Theologis Scholaſticis, vti ait Eximius D. & fere cunctis Scripturarijs: Inter Mariam, & Joſeph fuit verum matrimonium

nium ratum; Indeque S. Joſeph fuit verè, & propriè Maritus Sanctiſſimæ Virginis. Probatur concluſio ex Scriptura: nam Matth. 1. dicitur: *Joſeph Vir eius*, & ibidem: *Joſeph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: & Lucæ 2: *Aſcendit Joſeph in Bethleem, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore.* Ex quibus ſic: iuxta regulam D. Aug. admiſſam ab omnibus Theologis, Verba Scripturæ in ſenſu proprio ſunt accipienda, quoties non apparet patens abſurdum, alioqui cuilibet liceret divinare quæcumque mallet; atqui nomina, *Vir, Coniux*, *Vxor* propriè ſignificant matrimonium, vti eſt notiſſimum, & ex eo, quod in hoc ſenſu proprio ſumantur nullum patens apparet abſurdum, vt evidenter conſtabit ſolutione argumentorum: ergo inter Mariam, & Joſeph,&c.

Quod autem tale matrimonium fuerit ratum, conſtat ex verbis relatis S. Lucæ, ibi, *deſponſata ſibi vxore*, nam vt bene advertit. P. Salmeron, tom. 3. de Infantia Salvatoris tract.29; Virgo in eis non appellatur abſolutè *Vxor*, ſed cum addito *deſponſata*; vt ratione matrimonij vocetur *Vxor*,& quia cõſummandum non erat nominetur *Sponſa*: ergo matrimonium fuit tantum ratum. Probatur iam concluſio ex Patribus, nam S. Iſidorus lib. 9. ethymol. cap. 7. ait: *Conjuges verius appellantur à prima deſponſationis fide, quanvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus; ſicut Maria Joſephi conjux vocatur, inter quos neque fuerat, neque futura erat carnalis vlla commixtio.* Et S. Ambroſius allatus à P. Suarez,tom.2.

in 3. p. diſp. 7. ſec. 1. inquit: *Virgo deſponſata Viro conjugis nomen accepit. Non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis*: ergo ex SS. Iſidoro, & Ambr. fuit matrimonium ratum.

Probatur denique concluſio ratione magis convincente, inter plures, quas affert D. Eximius, quam hac forma propono: Non minor perfectio eſt Virginitas,& matrimoniũ in conjuncto, quàm in cõjuncto Virginitas,& fœcunditas; atqui B. Virgini cõceſſa fuit omnis perfectio poſſibilis puræ creaturæ, vt in eius tract.diſ.2. ſec.7.latè probavimus: ergo ſicut fuit conceſſa perfectio Virginitatis, & fœcunditatis in conjuncto; ita pariter perfectio Virginitatis, & matrimonij, ac pro inde inter Mariam, & Joſeph, &c. Vlterius: magna perfectio eſt conjungere cum ſumma Corporis,& Animæ puritate bona conjugij, nimirum vinculum ſocietatis, & vnitatis,ſubjectionemque,& obedientiam debitam Marito ab Vxore; ſed talis magna perfectio non eſt neganda B. Virgini, alioquin contra omnes PP. non fuiſſet perfectiſſima in omni ſtatu, nec fuiſſet exemplar imitationis Virginibus, & conjugatis: ergo ea perfectio illi conceſſa fuit, ac per conſequens inter illam, & Joſeph fuit verum matrimonium ratum.

Secunda concluſio cum PP. Suarez,ſup. ſec.1. dicente eſſe omnium Theologorum cum S. Thom. Morales lib. 2. trac. 3. Marin de matrimonio tom. 1. diſp. Dedicatoria ſec. 4. n. 31. contra paucos iam referendos: Abſolutè loquendo eſt de fide, fuiſſe verũ matrimonium ratum inter B. Virginem, & S. Joſeph;

Joſeph; attamen id nõ eſt de fide *proximè* , & *quoad nos*, ſed tantum *remotè*, & *quoad ſe*. Probatur prima pars concluſionis: id,quod eſt revelatũ in Scripturis eſt de fide; atqui vt conſtat ex textibus allatis pro prima concluſione,revelatum eſt in Scripturis,fuiſſe verum matrimonium ratum inter B. Virginem, & S. Joſeph : ergo eſt de fide fuiſſe. Dixi autem *abſolutè loquendo*; quia vt aliquid, vt bene ait P.Coninch *abſolutè* dicatur *de fide*, ſufficit, ita eſſe *remotè*, & *quoad ſe*.

Probatur iam ſecunda pars concluſionis exceptiva: id eſt ſolum *remotè*, non autem *proximè* de fide, quod licet *in re* revelatum ſit, non tamen datur certitudo moralis de revelatione; atqui quanvis revelatum in re ſit,iuxta textus proximæ concluſionis, matrimonium S. Joſeph fuiſſe verè tale; non tamen datur certitudo moralis revelationis, quia ſolum datur probabilitas : ergo id non eſt *proximè*,ſed ſolum *remotè* de fide. Probatur minoris incluſa probatio : quoties apud graves,& Catholicos Authores aliqua revelatio affirmatur, apud alios autem poteſt probabiliter negari datur ſolum probabilitas de revelatione; atqui hoc accidit in noſtro caſu, nam P. Tho. Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 28. n. 1. loquens de hac concluſione, dicit : *Minimè crediderim, eſſe de fide*. Caniſius Mar. lib. 1. cap. 5. ait: *Sine periculo erroris poſſe vtramque partem defendi*. Ac demum Medina lib 5 de Sacr. homin. contin. cap. 64 inquit: *Poſſe probabiliter defendi, non fuiſſe verum matrimonium* , & rationes in contrarium afferendæ, non

non poteſt negari, quod ſint probabiles: ergo ſolum datur probabilitas de tali revelatione, quæ ad aſſenſum ſupernaturalem fidei non ſufficit, iuxta præmiſſ. 5.

Tertia concluſio: matrimonium S. Joſeph cum B. Virgine fuit inter omnia matrimonia veteris legis perfectiſſimum, Sanctum, admirabile, & plane cœleſte. Probatur concluſio ex Patribus: nam S. Aug lib. 1. ad Valerianum tom. 7. ait de iſto matrimonio: *Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis Parentibus Chriſti, proles, fides, & Sacramentum: prolem cognoſcimus, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum: fidem; quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, &c.* & Rupertus lib. 1. ſup. cap. 1. Matth. inquit: *O conjugium verum, & Sanctum, conjugium cœleſte, non terrenum: quomodo enim, vel in quo conjugati fuerunt? Nimirum in eo, quod vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis, ſola illic deſinit corruptio carnis:* ergo matrimonium Joſeph fuit Sanctum, cœleſte, & perfectiſſimum, inter omnia matrimonia veteris legis. Hæc autem reſtrictio appoſita ideo eſt, quia matrimonia novæ legis elevata ſunt à Chriſto Domino ad rationem Sacramenti, ſecus illa; indeque inter hæc, & illa nulla poteſt fieri comparatio.

Probatur iam concluſio ratione: illud matrimonium eſt perfectiſſimum ſupra omnia alia, quod fit ob altiores fines, & inter meliores conjuges; atqui tale fuit matrimonium S. Joſeph: ergo fuit perfecti-

fectiſſimum ſuper omnia alia. Probatur minor: Matrimonium S. Joſeph factum eſt, & vt eſſet Incarnationis, veluti tegumentum, & vt homo Deus haberet nutritium, Cuſtodemque, & vt conſuleretur honori Beatiſſimæ Virginis; deinde meliores conjuges, quam Maria, & Joſeph inveniri non poterant, vt patet: ergo tale matrimonium, & fuit ob altiores fines, quam quævis alia, & inter meliores conjuges, ac pro inde ſuper omnia alia perfectiſſimum. Vlterius: conjugium conjunctum cum Virginitate vtriuſque conjugis, voto firmata, eſt abs dubio perfectiſſimum ſuper alia non ita conjuncta; atqui ſic fuit matrimonium S. Joſeph, & nullum aliud legis veteris ſic fuit: ergo fuit perfectius omnibus.

Quarta concluſio: S. Joſeph Mariam duxit Vxorem non in ætate ſenili, ita vt eſſet octogenarius qualiter cum S. Epiph. hæreſ. 78. ſenſere, Niceph. Gerſon. Abulenſis, ſup. cap. 7. Iſaiæ, & alij; ſed in ætate virili, & matura, vti defendit cum communi D. Exim. diſp. 7. ſec. 3. Probatur concluſio ex Scrip. nam Lucæ 1. dicitur: *Miſſus eſt Angelus Gabriel á Deo, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph*: vbi S. Joſeph, qui paulo ante Incarnationem, matrimonium, contraxit, in ipſa Incarnatione appellatur *Vir*. Tum ſic argumentor: Evangeliſta locutus eſt in ſenſu proprio, & ſic debet intelligi, iuxta ſupra relatam Auguſt. regulam; atqui nomen *Vir* in propria ſignificatione, ſumitur pro homine in ætate virili, & matura, & ſolet voca-

ri

ri *Iuvenis*, vt Eſaiæ 62. quia eſt ad juvandum præparatus, quanvis iuveniles annos excedat: ergo S. Joſeph, quando Mariam duxit vxorem erat *Vir*, ſeu in ætate virili; etſi decidi nequeat, an triginta, vel quadraginta annorum fuerit, vt bene notat P. Suarez, & alij.

Probatur iam concluſio ratione: S. Joſeph electus eſt à Deo Sponſus B. Virginis, vt ſub illius vmbra illæſa ſervaretur ab omni infamia Mariæ exiſtimatio; atque vt tot ſubſtineret peregrinationum incommoda, & pro familia alenda corporaliter laboraret: ergo electus fuit in ætate, & ad generandum apta, & ad laborandum robuſta; atqui ad hæc, vt in plurimum, eſt inepta ætas ſenilis, præſertim octogenaria: quomodo enim homo ſenex tot ferret labores? Et quis crederet, ſenem octogenarium eſſe Patrem Jeſu? Et ad hæc omnia multum proportionata eſt ætas virilis; præcipuè, cum ſervari in illo matrimonio debuiſſet ea, quæ inter Virum, & Vxorem communiter conſuevit ſervari proportio: ergo matrimonium S. Joſeph in ætate fuit virili contractum.

Contracto autem eo Sanctiſſimo matrimonio, & ritè perfectis omnibus veteris legis (ſi quæ erant) cæremonijs, & ſolemnitatibus, Sacerdotaliquè accepta benedictione, cum aliter non ſolitum ſit tradi Sponſam ad cohabitandum cum Sponſo; Maria ſtatim à Sacerdotibus data eſt Joſepho, vti tenet S. Greg. Nicenus in orat. de Chriſ. nativ. & alij Patres, traductaque in domum illius, vbi tempore

Con-

Conceptionis Verbi Divini, iam cum Joſeph habitabat. Atque ita ſentiunt plures Patres, vt S. Chryſoſt. homil. 4. in Matth. & S. Tom. 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. quanvis Caietanus hic contrarium cenſuerit. Ratio autem eſt: nam ſicut conceptio Mulieris, quæ concipit in domo viri ſui naturalis intelligitur, & legitima; ita ſi extra domum viri fiat, ſuſpicioni ſubjicitur, ac per conſequens, ſi tẽpore conceptionis in domo ſui conjugis Maria nõ habitaſſet, famæ illius ſatis proſpectum non eſſet.

Neque Caietano favet primo: quod Sancto Joſeph, Angelus dixerit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, quaſi tempore conceptionis Chriſti, non dum eam accepiſſet, ad minus cum debitis ſolemnitatibus, & Sacerdotali benedictione. Nam potius contrarium deducitur ex Evangelio, Matth. enim 1. dicitur: *Voluit occultè dimittere eam*. Et S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam ita exponit: *Quam non accepit, nemo dimittit, & ideo quia volebat dimittere fatebatur acceptam*. Deinde illa alia Evangelij verba, quæ Caietano favere vidẽtur, *nollet eam traducere*, nõ ſignificant, *nolle in domum ſuam abducere*, ſed iuxta communem intelligentiam expoſitorum, tantum ſignificãt, *nolle infamare, & accuſare, vt ream adultery*: verũ nos aliam, diſſ. 4. ſec. 5. ſecuturi ſumus expoſitionem. Igitur in text. nobis objecto, verbum illud *accipere* non ſignificat *denuo in domum traducere*, ſed quam propoſito iam, & animo dimiſerat, *domi retinere*, vti expreſsè S. Chryſoſt. & Ambroſius exponunt.

Ne-

Neque fauet ſecundo: quod in Evāgelio dicatur de Maria, cũ iam viſitaverat Eliſabetam, *reverſa eſt in domum ſuam*. Lucæ 1. quaſi tũc Maria in domo propria habitaſſet, cum in eam ſignificatam per ly *ſuam* redijſſet. Nam ly *ſuam* male intellectum eſt; etenim per ea verba ſolũ exprimitur, reverſam eſſe in propriam domum, quæ domus erat S. Joſeph; dicitur autem *ſua* Mariæ, vt ab aliena diſtinguatur, non vero, quia in ea Maria ſeparata à S. Joſeph habitaret, hoc enim, vt bene hic ait P. Suarez, nec habet fundamentum, nec congruit proprietati verborum, quæ maximè in exponendis Scripturis debet attendi.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum contra primam concluſionem. Plures SS. Patres expreſsè aſſerunt, Matrimonium S. Joſeph non fuiſſe propriè tale, ſed ſolum ſponſalia: ergo non fuit. Probatur antecedens: nam S. Hieron. lib. contra Heluidium ait: *Joſeph Mariæ cuſtos fuit potius, quam Maritus*, & in 1. Matth. *Joſeph fuiſſe Nutritium, non Maritum*, & ibidem inquit: *Cum Virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum; ſed recordare conſuetudinis Scripturarum, quod Sponſi Viri, & Sponſæ Vxores vocantur*: S. Bern. homil. 2. ſup. *Miſſus eſt*, ait *Virum Mariæ nominat Evangeliſta Joſephum, non quia Maritus, ſed quod homo virtutis erat*: D. Greg. homil. 26. in Evang. *Dominus Mariam habere Sponſum*

 voluit,

voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit. S. Aug. ſerm. 13.de Natali Domini: *Concepit Virgo antequam Sponſum haberet, parit, antequam nubat.* D. Epiph. hære. 78: *Virgo deſponſata, & non nupta.* S. Hilar. cano. 1. in Matth. dicit, *Virginem fuiſſe Sponſam, non verè conjugem.* S. Petr. Cryſolog. ſerm. 157: *Ioſeph Maritus, ſolo nomine, conſcientia Sponſus*, ac demum S. Chryſoſt. homil. 4. in Matth. *Conjugis nomine Sponſum intelligit* : & Cyrill. Hieroſolim. Catecheſi. 12. *Maria propter ſolam deſponſationem Vxor Ioſeph vocabatur.*

Vlterius S. Cyprianus, ſerm. de paſſione Domini, & Ambroſius epiſt. 79. lib. 2. in Lucam, & lib. de inſtitut. Virg. cap. 6. dicunt : Chriſtum in Cruce tradentem Joanni Matrem ſuam, eam à Joſeph ſeparaſſe, vt indicaret, eorum non fuiſſe verum conjugium : ergo non fuit. Præmitto ad ſolutionem primo : quod *Sponſalia*, vt bene definivit Juriſconſultus Florentinus leg. 1. ff. de Sponſalibus *ſunt mentio, & repromiſſo futurarum nuptiarum.* Indeque Sponſalia eſſe de futuro intelliguntur, vti Vlpianus leg. 2. eodem titulo, tradidit, his verbis: *Sponſalia dicta ſunt ab ſpondendo, nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſponderi ſibi vxores futuras* : hincque fit, vt in rigore loquēdo eas intelligamus Sponſas, quas de futuro nominamus.

Præmitto ſecundo : quod aliquando Sponſa de futuro vocatur *vxor*: idque patet, tum ex Script. Gene. 29. vbi Jacob ait ad Labam, *da mihi vxorem meam*, nimirum Rachelem, quæ tamen ſolum erat

Spon-

Sponſa de futuro: tum ex iure canonico, cap. *Iuvenis*, de Sponſalibus, ibi: *quia ipſa conjux ipſius fuiſſe dicitur.* Pariter etiam conjuges, qui per verba de præſenti matrimonium ratum contraxerunt appellari ſolent *Sponſi*; vt ab alijs conjugibus matrimonio conſummato talibus diſtinguantur. Id patet ex Evangelio: nam vt bene notarunt S. Aug. & alij PP. relati in C. inſtitutum. C. conjuges, & C. conjugium 27. q. 2. in eodem cap. 1. Matth. B. Virgo, & vocatur *conjux*, ibi, *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & appellatur *Sponſa*, ibi; *cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph.*

Præmitto tertio: quod iuxta certiſſimam regulam Theologorum, vt intelligantur SS. Patres, debet attendi, quas tunc temporis agitabant quæſtiones, & ſecundum illas, explicandi. Patres igitur contra nos allati, acriter pugnabant contra hæreticos, perpetuam Puriſſimæ Mariæ Dominæ noſtræ Virginitatem impugnantes, argumento male deducto ex illius matrimonio cum S. Joſeph. Inde recuſabant vti iſtis terminis, *Maritus, Vir, Conjux, nuptiæ*, vt ſignificarent, Mariæ caſtiſſimum matrimonium non fuiſſe conſummatum, & manſiſſe ſemper Virginem. Et iure quidem negabant eos terminos, abſolutè, & ſimpliciter acceptos; quia ſolum per matrimonium ratum, & conſummatum conjugati, propriè, perfectè, abſolutè, & ſimpliciter dicuntur *conjuges*, quia carnaliter conjunguntur, de illiſque verificatur illud, *erunt duo in carne vna.* His ita ſuppoſitis.

Ad

Ad argumentum in forma, nego antecedens, & ad authoritates Patrum explica eorum verba ſic: *Non Maritus, non Vir, non Conjux, non Nupta*, ſed *Sponſa*, per excluſionem veri matrimonij rati, nego; per excluſionem matrimonij conſummati, concedo. Ad id, quod additur, dic: SS. Cyprianum, & Ambroſium in ea conjectura ſupponere, S. Joſeph tempore mortis Chriſti è vivis non exceſſiſſe; hoc autem, vti ait Exim. D. incertum eſt, & non admodum veriſimile. Imo credibilius, & congruentius eſt, quod plures Patres, & Doctores, infra ad argumentum ſeptimum referendi tradunt, nimirum S. Joſeph tunc temporis jam fuiſſe mortuum: cuius ſententiæ ratio pro nunc hæc eſto: quia ſi S. Joſeph tunc viveret, cur ab illo Mariam Jeſus ſepararet? Cur eam Joanni commendaret, & non Joſepho? Cum hic eſſet fidiſſimus illius Sponſus: vnde fidelior Cuſtos, ac miniſter nullus erat alius, qui quæreretur. Ex hinc ab eorum Patrum conjectura alios Patres ſecuti reverenter abcedimus.

Argumentum ſecundum: non minus in Evangelio dicitur S. Joſeph *Pater* Chriſti, quam *Vir* Mariæ; atqui ad proprietatem verbi *Pater*, ſufficit, quod fuerit Pater exiſtimatus: ergo ad proprietatem verbi *Vir*, ſufficit quod fuerit Maritus exiſtimatus: ac per conſequens non fuit verus Maritus. Præmiſſæ conſtant, & conſequentia videtur ſatis exprimi à S. Bern. homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, inquiente: *Nec Vir Matris, nec Filij Pater Joſeph extitit, quanvis vtrumque ad tempus, & appellatus ſit, & putatus.* Ad

argu-

argumentum, nego conſequentiam, & eſt diſparitas: quia de fide eſt S. Joſeph fuiſſe Patrē exiſtimatum. Lucæ 3. ibi: *vt putabatur Filius Joſeph*, cum de fide etiam ſit, Dominam noſtram manſiſſe ſemper Virginem.

Attamen de fide non eſt S. Joſeph fuiſſe Maritum Virginis exiſtimatum. Imo contrarium eſt de fide, iuxta ſecundam concluſionem. Vel aliter: quia ex eo, quod S. Joſeph fuiſſet verus Pater, & non purè exiſtimatus Chriſti, ſequeretur contra fidem amiſſio Virginitatis in Maria puriſſima: ex matrimonio autem vero, ſed ſolum rato, nullum Marianæ Virginitatis detrimentum ſequitur, ſed potius maxima Gloria. Et P. quidem Suarez hoc argumentum vocat *evaſsionem erroneam*, cum ſit contra vim verborum Scripturæ, & abſque vllo fundamento in ea, vel in traditione. Denique S. Bernardus explicandus eſt, vt ipſe, & alij Patres in primo argumento.

Argumentum tertium: Plures Patres, nimirum Greg. Nizen. homil. de nativ. Chr. Damaſc. lib. de fide cap. 15. Niceph, Andreas Cretenſis, & alij tradunt, Beatiſſimam Virginem, cum iam Vndecim annos degiſſet in Templo, eſſentque vita functi Parentes eius, ſpeciali Dei inſtinctu, deditam eſſe à Sacerdotibus S. Joſeph, vti digniori ex eadem familia, & Tribu, nomine deſponſationis, vt eius Virginitatem cuſtodiret: ergo illud non fuit matrimonium, ſed quaſi quoddam pactum cum S. Joſeph initum vt Mariæ cuſtos eſſet, atque illi miniſtraret.

Ad

Ad argumentum, diſtinguo conſequens: illud non fuit matrimoniũ conſummatum, concedo; ratum, nego: & hiſtoria quidem, matrimonium fuiſſe ſolum ratum probat, vt conſideranti patebit. Alia ſolent contra hanc concluſionem opponi argumenta, quæ ſectione ſequenti opportunius proponemus.

Argumentum quartum contra ſecundam concluſionem: quod probabiliter negari poteſt, non eſt de fide; ſed matrimonium S. Joſeph fuiſſe verum, probabiliter negari poteſt, iuxta Authores ſupra allatos: ergo fuiſſe verum, non eſt de fide. Diſtinguo maiorem: non eſt de fide proximè, & quoad nos, concedo; remotè, & quoad ſe, nego; iuxta dicta in concluſione, & præmiſſo quinto. Quod ſi aliquis cum P. Marin ſup. à n. 32. vſque ad 35. dicat, ſibi ob authoritates Scripturæ ſupra relatas, probabilem non eſſe contrariam ſententiam, poterit cum eodem aſſerere, matrimonium S. Joſeph, eſſe *proximè, & quoad nos* de fide, quia cum conſtet morali certitudine de revelatione, poteſt fide divina credi, præſtarique illi ſupernaturalis aſſenſus. Verũ citatum Marin videre debet diſp. 8. de fide ſec. 4.

Argumentum quintum contra quartam concluſionem: (cõtra tertiam enim nullum apponitur) ex Scrip. nam Joëlis 2. dicitur: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt.* Quæ iuxta Ægidium Zamorenſem lib. de S. Joſeph, in eo fuere verificata Matth. 1. ibi: *Apparuit in ſomnis Joſeph, &c*: ergo tempore illius apparitionis, quod fuit paulo poſt conceptionem Verbi, &

& matrimonium S. Joſeph, iam hic erat ſenex. Nego conſequentiam, nam immediatè additur in textu, & *Iuvenes veſtri viſiones videbunt*, quod Lyra ſic interpretatur: *Iuvenes, id eſt, hominibus cuiuslibet ætatis dabitur Spiritus Prophetiæ.* Vnde patet, quod textus tam de ſenibus, quam de Iuvenibus, & viris loquitur: & cum aliunde detur ratio efficax noſtræ concluſionis, probans S. Joſeph fuiſſe tunc virum maturæ ætatis, vt ſuo muneri poſſet ſatisfacere; ex textu Joëlis potius inferendum eſt, fuiſſe virum, quam ſenem.

Argumentum ſextum: Argumentatio ſumpta ex picturis antiquis, bona, & efficax eſt, ſicuti eſt ſumpta ex Scripturis authenticis, atqui plures picturæ antiquæ repræſentant S. Joſeph ſenem: ergo talis dicendus eſt, & non Vir. Minor eſt indubitata, & maior conſtat ex S Greg. lib. 9. epiſtolarum epiſt. 9. ad Severum relata in cap. *perlatum* de conſecrat. diſt. 3. vbi hæc habet: *Pictura hoc Idiotis præſtat cernentibus, quod legentibus Scriptura; quia in pictura ipſa etiam ignorantes, vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt, qui litteras neſciunt. Vnde & præcipuè Gentibus pro lectione pictura eſt*: ergo argumenti conſequentia tenet.

Ad argumentum conceſſis præmiſſis, nego conſequentiam: S. enim Joſeph pingitur ſenex, non quia tempore initi matrimonij talis fuiſſet, ſed propter plures rationes, quas Authores noſtræ ſententiæ congerunt: ex quibus duas potiores ſeligo. Prima eſt, vt ex pictura colligatur mentis illius, &

caſti-

caſtitatis virtus, ac immaculata vita, iuxta illud Sapientiæ 4: *Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Secunda eſt, quia cum initio naſcentis Eccleſiæ perpetuam Mariæ Virginitatem, multi negarent Hæretici, eaque non dum, vt modo, radices in cordibus Fidelium ſatis fixiſſet, neceſsè fuit, vt in ætate ſenili,& frigida Joſeph pingeretur, ne ſi exprimeretur Iuvenis, aliquid carnale de illo,& Maria in ſuſpicionem veniret. Nunc vero hac ratione ceſſante, Romæ, in Hiſpaniæ, ac in Alemaniæ regnis, vti plures teſtantur, in ætate virili depingitur.

Argumentum ſeptimum: S. Joſeph mortuus eſt anno fere duodecimo ætatis Chriſti, nam ab eo anno, nulla in Evangelio de S. Joſeph mentio fit: ergo veriſimilius eſt, illum quando Mariam duxit, & Jeſus natus eſt, valde ſenem fuiſſe; ſenex enim citius mori præſumitur, quam Iuvenis, vt habetur in leg. *nam & ſi Parentibus* ff.de inoffic.teſtam.Præmitto ad ſolutionem: quod licet S. Epiphanius hæres. 78. ſenſerit: S. Joſeph mortuum fuiſſe paulo poſt duodecimum annum ætatis Chriſti, vt in argumento dicitur: aliqui vero Authores relati ab Izolano 4. p. cap. 1. tempore prædicationis Chriſti è vivis abjiſſe cenſuerint: ac demum S Cypri.Serm. de paſſi. Domini. S. Ambro. tract. de Inſtit.Virg. in cap. 23. Lucæ. S. que Chryſoſt. homil. 5. ſup. cap.1. Matth. adhuc vixiſſe S. Joſeph tempore Paſſionis, & Reſurrectionis Dominicæ aſſeruerint.

Attamen congruentius, & probabilius eſt, quod tenent

tenent D. Hieron. lib. contra Helvid. S. Bonav. de Vita Chriſti, cap. 17. S. Bernard. Senenſis, tom. 3. ſerm. de S. Joſeph, cap. 3. Gerſon, Comiſtor. Viguerius. PP. Suarez, Salm. Caniſ. Barrad. & alij plures, nimirum, S. Joſeph paulo ante, vel poſt baptiſmumChriſti,& ante nuptias Cannæ Galileæ obdormijſſe in Domino. Hoc autem ſatis probari videtur, tum ex Script: nam quando Chriſto prædicanti nuntiatum fuit; *ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.* Matth. 12. nihil dicitur de Patre illius, quod ſignum eſt tunc iam fuiſſe mortuum. Tum etiã ratione : quia ab illo tempore, cum iam Chriſtus novæ vitæ genus inſtitueret, non egebat miniſterio S. Joſeph, nec etiam Maria, cum ea eſſet ſub cura Filij ſui, qui iam tunc volebat manifeſtari Filius Dei, & Virginis, vnde ceſſabat finis, ad quem S. Joſeph electus erat. Hinc, nego antecedens cum conſequentia, nec probatio vrget, nam à duodecimo anno vſque ad trigeſimum, Chriſtus voluit eſſe occultus, & ita oportebat eſſe S. Joſeph, ideoque de illo nulla mentio fit.

Argumentum octavum : ad honorem, & nomen Patris, vt talis nominaretur à Chriſto, & ad altiſſima ſuæ electionis munera oportuit, fuiſſe ſenem S. Joſeph,quando duxit B. Virginem: ergo ita fuit. Probatur antecedens : nam Apoſtolus 1. ad Timot. 5. ait : *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra, vt Patrem*; & Imperatores Valentinus, Theodoſius, & Arcadius in leg. 2. Cod. de officio diverſ. Judicum, iubent, ſenes non appellari, *Fratres*, ſed *Pa-*

tres, ibi, *neque in proſcriptionibus ſuis fratres audeant nominare*; videlicet propter venerationem ſenectutis, dicente jure conſulto Caliſtrato, leg. 5 ff. de jure immunitatis, *ſemper in Civitate noſtra ſenectus venerabilis fuit, namque maiores noſtri eundem honorem ſenibus, quem Magiſtratibus tribuebant*: ergo quia honor, & nomen *Patris* congruentius, quam alijs, datur ſenibus, ac per conſequens, ad honorem, & nomen Patris, &c.

Præmitto ad ſolutionem: quod licet abſolutè loquendo honor, & nomen Patris, potius quam Junioribus, tribuendum ſit ſenibus: attamen ſi tale nomen non ſit nudum, ſed ad miniſteria, quæ robur, & vires corporis exigunt, tale nomen Juniori potius, quam ſeni debet attribui, ſenes enim vires habent attritas, integras Juvenes. Cum igitur finis electionis S. Joſeph in Virginis Sponſum, & Chriſti nutritium fuerit, vt eos aleret, totque perferret labores, conſtat, non ſenem, ſed Virum fuiſſe eligendum. Neque maior ſecuritas continentiæ ſperari debuerat à ſene, quam à juvene: eam enim non tam ætas, quam virtus, & Spiritus Sancti Gratia, qua S. Joſeph abundabat, ſecure promittunt. Ex his ad argumentum, diſtinguo antecedens: oportuit fuiſſe ſenem S. Joſeph, ſi ſenectus eſſet apta ad miniſteria, ad quæ electus eſt, concedo; ſi non eſſet, nego, & concedo totam probationem, in qua nihil contra nos.

SE-

SECTIO II.

VTRUM S. JOSEPH VOTUM VIRGInitatis emiſerit? Et quomodo hoc cum vero matrimonio potuerit ſtare?

PRæmitto primo: quod Puriſſimus Joſeph fuit ſemper Virgo. Hoc expreſſit Card. Petrus Damianus, Epiſt. 11. c. 4. ad Nicolaum Papam, inquiens: *Eccleſiæ fides in eo eſt, vt non modo Deipara, verum etiam Putatiuus Pater, atque nutritius, Virgo habeatur.* Et ratione etiam duplici conſtat. Prima: quia S. Joannes Baptiſta, quoniam futurus erat Chriſti Præcurſor, & ſemel in Baptiſmo Sacratiſſimum illius Corpus contrectaturus, electus eſt Virgo Puriſſimus: ergo potiori iure S. Joſeph, qui erat futurus Pater Chriſti, vt eum nutriret, foveret in gremio, portaret in manibus, & millies contrectaret, debuit Virgo Puriſſimus eligi. Secunda: quia Trinitas cœleſtis, nimirum *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus* Virgo eſt, vt Nazianceaus cecinit, *Prima Trias Virgo*: ergo etiam Trinitas terreſtris, ſcilicet *Jeſus*, *Maria*, *Joſeph*, debuit eſſe Virgo.

Præmitto ſecundo: quod in lege etiam veteri fuit in magno pretio Virginitas. Id patet: quia in Templo hieroſolymitano fuere Virgines Deo conſecratæ, vti aſſerunt S. Ambroſ. lib. de Virginit. Cyrill. lib. adverſus Antiophanos, cap. 27. Orige. tract. 2. in Matth. PP. Caniſ. Suarez, Barradas, &

alij:

alij : multique etiam Viri Sanctiſſimi. Virginitatem, vt æſtimabiliorem coluere, vti de Hieremia,& Elia teſtatur S. Ignat. M. epiſt. ad Philadelphienſes, & S. Ambr. lib. 1. de Virgin: ac de tribus Pueris miſſis in fornacem ignis ardentis. S. Damaſc. lib. 4. cap. 25. tradit. Imo Joſephus libro 13. antiquit. cap. 8. ait : Eſſenos Sanctos à Judæis habitos fuiſſe, quoniam perpetuam caſtitatem ſervabant. Ratio autem tantæ æſtimationis erat,quia cum virginitas maximè ad perfectionem ſpiritus conducat, atque à terrenis curis, & ſolicitudinibus hominem abſtrahat,eſt ſecundum honeſtam rationem æſtimabilior, & apetibilior, præcipuè multiplicato iam ſatis per alios humano genere.

Præmitto tertio : quod iuxta plures graviſſimos Authores, & ſi conditio turpis contra bonum prolis matrimonio adjecta, illud anullet, vt habetur, cap. fin. de condit. appoſ. at conditio honeſta, licet ei bono contraria, vt ſi contraherent duo ſub conditione ſervandi perpetuam caſtitatem , ſeu nunquam petendi debitum, matrimonium non irritat. Ratio eſt : quia copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonij; ſed tantum conſiſtit in tradendo dominio corporum, & bene poteſt tradi tale dominium ſub conditione eo non vtendi; nam vt latè propugnavi, tract. *de Dominio, & vſu*, hic diſtinguitur, & ſeparari poteſt à dominio : ergo dicta conditio, quamvis ſit contra bonum prolis , matrimonium non irritat.

Neque contra hoc aſſertum dicas primo, hanc con-

conditionem, *contraho tecum, ſi neque tu, neque ego tradamus dominium noſtrorum corporum*, matrimonium irritat: ergo pariter hæc: *ſi mutuo ſervemus caſtitatem*. Negatur enim conſequentia, quia prima conditio eſt contra eſſentiam matrimonij; ſecus ſecunda, propter dicta, & dicenda. Neque ſecundo dicas: tale matrimonium nullum effectum habiturum, ac pro inde irritum eſſe; haberet enim plures effectus, vt eſt inhabilitas ad aliud matrimonium, vivente Vxore, non fornicari, ſi accedat ad illam, adulterari, ſi cognoſcat aliam: ac demum rogo adverſarios, an propter has rationes nullum ſit matrimonium inter eos initum, qui ante illud votum Religionis, ac caſtitatis emiſere? Quod quidem nemo dicet; & tamen contrahunt cum obligatione non ſe cognoſcendi carnaliter, vtendique corporibus.

Præmitto quarto: quod votum vel poteſt eſſe *abſolutum*, ſi nimirum vovens abſque vlla conditione illud nuncupet; vel *conditionatum*, ſi ſub aliqua conditione fiat. Quod ſi conditio appoſita contineatur tacitè in ipſo voto, non facit illud conditionatum, licet de ea fiat expreſſa mentio, nam ſi talis conditionis expreſſio fiat eo modo, & non alio, quo tacitè continebatur, nihil operari certi iuris eſt, vti habetur in leg. 3. ff. de Legat. 1. & ibi Doctores, & Bart. in leg. *Cornelius* ff. de hæred. inſtit. Taciti enim, & expreſſi idem eſt iudicium in his, quæ veniunt ex ipſa rei natura, vt in leg. *Cum quid* ff. ſi certum petatur, & ibi Jaſon, & Doctores. Talis autem

eſt

eſt hæc conditio voto adjecta: *Niſi Deo aliud placuerit*, nam in omni voto includitur, ideoque expreſſa non tollit vim voti abſoluti. Similiter in promiſſione hæc conditio, *ſi acceptetur*, eam non facit conditionatam, quia vti dixi in tract. *de Promiſsionibus, & Stipulationibus*, acceptatio eſſentialiter ad obligationem promiſſionis requiritur, adeoque in ea talis conditio neceſſario clauditur.

Præmitto quinto: quod Beata Virgo, vti cum fere omnibus Theologis defendi, in lib. de ipſa diſſ. 5. ſec. 2: votum abſolutum Virginitatis emiſit, & in ea Deo per votum offerenda Prima fuit. Hocque vt certum tenendum eſt; vti enim ait P. Bolandus, B. Virginem votum emiſiſſe Virginitatis, *Nemo nunc dubitat, niſi, qui pariter, & Eccleſiæ Catholicæ, & caſtitatis hoſtem ſe profiteatur. Quo enim alio illa ſpectat plena admirationis interrogatio? Quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco?* Inde B. Virgo non niſi ſpeciali Spiritus Sancti motione, & inſtinctu matrimonium cum S. Joſeph celebravit. His ſuppoſitis, vt quæſtionis iam titulo reſpondeamus, ſit.

Prima concluſio: S. Joſeph antequam cum Maria Puriſſima iniret conjugium, votum abſolutum Virginitatis emiſit; primusque omnium poſt B. Virginem tale votum nuncupavit. Ita PP. Alderete de Incarnat, tom. 2. diſp 6. ſec. 2. & Morales tract. 2. lib. 6. n. 13. Probatur concluſionis prima pars, ex Script. nam infinita Dei ſapientia, vt dicitur Sapi. 8: *Attingit à fine vſque ad finem fortiter,*

&

& diſponit omnia ſuaviter: ergo diſponens, quod B. Virgo in matrimonio cum S. Joſeph intactam ſuam ſervaret Virginitatem, diſpoſuit ſuaviter media, vt talem finem adipiſceretur; atqui nullum medium ſuavius, & congruentius fuit, quam quod Sponſus futurus Mariæ in eodem eſſet Virginitatis ſervandæ propoſito, & illud voto firmaret: ergo diſpoſuit quod S. Joſeph ante matrimonium votum Virginitatis emitteret, ſicque illud emiſit; & quidem perfectiori modo, nimirum *abſolutè*, & abſque vlla conditione eius obligationem ſuſpendente.

Probatur etiam concluſio ex Patribus, illam enim inſinuat S. Aug. lib. de S. Virg. cap. 4, inquiens: *Deſponſata eſt Viro Juſto non ablaturo, ſed potius cuſtodituro, quod ipſa iam voverat*, nimirum vovendo etiam: & expreſsè tenet Gerſon. 3. p. ſerm. de Nativit. Virgi. conſ. 2. Alph. 59. lit. *V*, dicens: *Vovit Maria Virginitatem, vovit, & ipſe Joſeph.* S. item Hieron. lib. contra Helvid. ait: *Joſephum Virginem fuiſſe per Mariam, vt ex Virginali conjugio Virgo Filius naſceretur*; atqui Maria fuit Virgo ſub voto Virginitatis: ergo etiam Joſeph, vt ſic omni modo eſſet Virgo per Mariam. Demum lib. 7. revelationum S. Birgittæ, cap. 25. dixit ei B. Virgo: *Pro certiſsimo ſcire debes, quod Joſeph antequam deſponſavit me, intellexit in Spiritu Sancto, me voviſſe Virginitatem*; ſed incredibile eſt, quod S. Joſeph id ſciens, non etiam voveret, vt magis placeret Deo, & ſimilior eſſet Sponſæ ſuæ: ergo credendum eſt, voviſſe: & ita factum eſſe habetur apud V. M. Mariam de Agreda, cap. 22. n. 36.

Pro-

Probatur iam concluſio ratione: in B. Virgine fuit perfectiſſima juſtitia; ſed juſtitia eſt *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum vnicuique tribuendi*, vti definivit Vlpi. leg. Juſtitia ff. de juſti, & jure: ergo in B. Virgine fuit conſtans,& perpetua voluntas jus ſuum vnicuique tribuendi, ac pro inde tribuendi Joſepho in matrimonio jus in corpus ſuum; atqui, talem voluntatem non habuiſſe, videretur, ſi volens cum eo contrahere, non ei manifeſtaſſet ſuum votum Virginitatis perpetuo ſervandæ, obtinuiſſet que ab eo, & conſenſum, & maiorem ſecuritatem, quæ quidem ſtabat in eo, quod ille ſimile votum emitteret: ergo emiſit. Vlterius: quia Sacerdotes conſecrantur ad miniſterium tangendi Sacratiſſimum Corpus Chriſti, emittunt votum perpetuæ caſtitatis, ex juſtiſſima Eccleſiæ inſtitutione; atqui S. Joſeph electus eſt ad miniſterium tangendi Corpus Chriſti: ergo emiſit Virginitatis votũ. Iam ſit.

Secundæ concluſionis partis probatio: in hunc modum: licet aliquæ mulieres in lege veteri, vt Maria Soror Moyſis, & Filia Jepte, aliquique Viri, vt Hieremias, & Elias Virginitatem ſervaverint, tamen de nullo conſtat, votum Virginitatis emiſiſſe: ergo ſi S. Joſeph illud emiſit, vti iam probatum eſt. Primus, excepta Virgine, fuit in eo emittendo. Vlterius: Inter Mariam, & Joſeph fuit magna morum ſimilitudo, qualis ſemper quæritur inter conjuges; ſed Maria fuit Prima omnium in emittendo votum Virginitatis: ergo Joſeph poſt illam fuit Primus in eo emittendo voto.

Se-

Secunda concluſio: Poſt contractum matrimonium Puriſſima Maria, & Puriſſimus Joſeph votum Virginitatis antea emiſſum communi conſenſu iterum emiſerunt. Probatur concluſio ex jure Canonico, in quo C. B. Maria 27. q. 2. dicitur: *Quod Virgo corde conceperat, ſimul cum Viro labijs expreſſit, & vterque in Virginitate permanſit;* atqui B. Virgo, & S. Joſeph ante matrimonium corde concepere votum Virginitatis: ergo poſt illud, ſimul labijs expreſſere. Probatur etiam authoritate S. Bernar. Senenſis Serm. de S. Joſeph, cap. 1. aiente: *Creditur revelatum fuiſſe Joſepho Virginis propoſitum de Virginitate ſervanda: contraxit igitur matrimonium committens ſe diſpoſitioni divinæ; & tunc creditur quod Joſeph ex revelatione divina cognoverit Virginis propoſitum Sanctum, & quod tunc ex communi conſenſu voverit Sanctam Virginitatem.* Quid clarius? Probatur itē concluſio ratione: plures Virgines, contracto matrimonio inierunt pactum cum Maritis de Virginitate ſervanda, vt S. Cæcilia, S. Pulcheria, S. Cunegundis, & aliæ: ergo idem dicendum eſt de Regina Virginum.

Tertia concluſio: S. Joſeph emiſſo ante deſponſationem Virginitatis voto, Sanctè, & licitè contraxit matrimonium cum B. Virgine, quod quidem cum eo voto bene poteſt ſtare. Probatur prima pars concluſionis: nam ideo S. Joſeph non contraxiſſet licitè matrimonium, emiſſo voto Virginitatis, vel quia hæc erat prohibita in leg. veteri, vel quia aliqua fieret Virgini injuſtitia; atqui neque Virginitas

erat prohibita,neque Virgini aliqua facta eſt injuſtitia: ergo S. Joſeph, emiſſo &c. Probatur prima minoris pars: ideo Virginitas in lege veteri fuiſſet prohibita, quia Exod. 23. dicitur, *Non erit in te infœcunda, nec ſterilis*, & Deuteron. 7. *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*; atqui in his textibus neque præceptum, neque conſilium invenitur, ſed tantum promittitur benedictio fœcunditatis, quæ propter ſpem Meſſiæ magno tunc erat in pretio, quamvis etiam talis eſſet Virginitas, iuxta præmiſſum 2, & ita eos textus explicant graviſſimi Interpretes: ergo Virginitas non erat prohibita in lege veteri.

Probatur iam ſecunda pars minoris: ſi aliqua fieret injuſtiria Virgini eſſet, quod S. Joſeph illi daret poteſtatem ſui corporis ligatam voto Virginitatis, ac pro inde abſque vſu; ſed hæc non fuit injuſtitia: ergo nulla facta eſt. Probatur minor: quoties tradito dominio rei præcedit pactum de non vtendo illa, nulla fit iniuſtitia in non dando vſu, vti eſt certum; atqui inter Joſeph, & Mariam præceſſit pactum de non vſu corporium, ſeu de tradenda poteſtate ligata voto Virginitatis,iuxta probationes concluſionis primæ, & ſecundæ: ergo nulla fieri ex voto iniuſtitia potuit. Vlterius: iuxta omnes Theologos cum S. Tho: B. Virgo habuit revelationem divinam de propoſito Virginitatis S. Joſeph; ſed habita hac revelatione, nullam S. Joſeph ei poterat facere injuſtitiam in negando vſu corporis, nam erat in poſſeſſione iuſta ad talem negationem,

quod

quod enim Authore ſupremo Domino fit, iuſte poſſidetur, vti exprimitur leg. Gracchus cod. de adult. & leg. Iuſte ff. de acquir. Poſſe. ibi: *Juſte poſsidet, qui authore, Pratore poſsidet*: ergo nulla fuit injuſtitia. Iam ſecunda pars concluſionis ſatis patet ex ſec. 1. huius diſſertationis.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argumentum primum: Apoſt. 1. ad Timot. 5. ait: *Cum enim luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, quod explicat S. Tho. lec. 2. de aliquibus adoleſcentulis, quæ votum caſtitatis emiſerant, & poſt illud voluerunt nubere. Item, S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum, & refertur c. 5. diſt. 27, ſic ait: *Si nupſerit Virgo non peccat; non illa Virgo, qua ſemet Dei cultui dedicavit: harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Demum S. Aug. tom. 7. lib. de Nuptijs, & S. Hiron. ſup. 1. ad Timot. 5. referturque in C. voventibus. diſ. 27, inquiunt: *Voventibus Virginitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle nubere, damnabile eſt*: ergo S. Joſeph emiſſo voto Virginitatis non potuit licitè ducere B. Virginem.

Præmitto ad ſolutionem: quod illi textus intelliguntur de habentibus votum Caſtitatis, & contrahentibus matrimonium abſque divina revelatione de obſervatione perpetua voti, ac pro inde cum

peri-

periculo violandi illud; & cum ignorantia alterius conjugis; At vero S. Joſeph ex S. Bernad. citato concl. 2. & habuit revelationem de voto Virginis, & non contraxit cum ignorantia ex parte illius, nam mutuo conſenſu votum nuncuparunt, inieruntque pactum de ſervanda illæſſa Virginitate. Similiter explicandus eſt S. Hieron. qui lib. de Script. Eccl. in Tiberiano, illum increpat, quia vt *Canis reverſus ad vomitum filiam devotam Chriſti Virginem matrimonio copulavit.* Hinc ita intellectis textibus, negatur conſequentia, & argumentum ruit.

Argumentum ſecundum: S. Joſeph ſub voto Virginitatis matrimonium contrahens, contraheret implicatoriè: ergo nec validè, nec licitè. Probatur antecedens: S. Joſeph ſic contrahens haberet voluntates eſſentialiter inter ſe incomponibiles; ſed hoc eſt contrahere implicatoriè: ergo contraheret implicatoriè. Probatur maior: votum Virginitatis dicit eſſentialiter diſſenſum in copulam carnalem; & matrimonium eſſentialiter involvit conſenſum in illam; atqui conſenſus, & diſſenſus circa idem objectum ſunt eſſentialiter incomponibiles, juxta dicta in libris de Anima: ergo S. Joſeph ſic contrahens, &c. De hoc ſanè difficili argumento latè egi lib. de B. Virg. diſſ. 5. ſec. 2. Nunc vero pro ſolutione illius.

Præmitto primo: quod ex tribus, quæ matrimonio conveniunt, nimirum *vinculum*, quod eſt *mutuus conjugum conſenſus*, quo ſcilicet ſibi invicem tradunt ius, & poteſtatem in ſua corpora ad matrimoniale

moniale commercium, vti dicitur cap. *ſufficiat* 27. q. 2: *cohabitatio* in eadem domo cum mutuis obſequijs: & *vſus* matrimonij per commixtionem carnalem, ſolum vinculũ convenit matrimonio eſſentialiter; reliqua vero duo non ita, nam cohabitatio in eadem domo datur etiam inter Fratres, & Sorores, cum inter eos non detur matrimonium; & hoc verè datur, quando ſolum eſt ratum, vt ſupra ſtatuimus, nec tamen datur vſus illius.

Præmitto ſecundo cum Exim. D. 3. p. diſp. 17. ſect. 2. Tho. Sanchez tom. 1. de Matrim. lib. 2. diſp. 28. n. 3. quod conſenſus eſſentialiter conſtituens matrimonium non eſt *explicitè* in carnalem copulam, ſed in jus, & poteſtatem ad illam, licet *implicitè* in *virtute*, & in *radice* ſit conſenſus in copulam in ſe. Ratio autem eſt, quia ille conſenſus ſolum debet ferri ſimpliciter, & explicitè tamquam in objectum volitum *in eſſentialia* matrimonio, qualis tantum eſt mutua traditio corporum, & dictum jus; non autem *in accidentalia*, qualis eſt actualis commixtio, & vſus corporum, ſed tantum implicitè, quatenus hic eſt effectus mutuæ traditionis. Vlterius; & pulchrè P. Tho. Sanchez n. 4. id explicat dicens: quod conſenſus implicitus in copulam requiritur ad matrimonium, *quatenus eſt ex parte contractus*, nam cum hic intrinſecè ordinetur ad copulam, conſentiens explicitè in eum, implicitè, ſeu in radice conſentit in hanc: Non vero requiritur *quatenus eſt ex parte contrahentis*, quia hic poteſt contrahere verum matrimonium cum intentione

non conſentiendi in copulam actualem, quæ matrimonio eſt accidentalis, & patet exemplo S. Cæciliæ.

Hæc autem explicatio non arriſit P. Marin tom. 1. de Matrim. diſp. Dedicat. ſec. 3. verum mihi maximè arridet, & quia clara, & optima; & quia eſt PP. Suarez, & Sanchez clariſſimorum Luminum noſtræ Societatis in vtraque Theologia ſcholaſtica, & morali; & quia eſt expreſſa D. Thom. in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. inquientis: *Virgo implicitè conſenſit in copulam, at copula nunquam fuit in propoſito, erat enim à Deo certificata, nunquam ſubſequi debere.* Vnde clarè deducitur, fuiſſe conſenſum implicitum *ex parte contractus;* non vero *contrahentis*: & demum, quia per illam bene intelligitur S. Aug. relatus C. B. Maria 27. q. 2. ibi: *Maria conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed divinæ inſpirationi in vtroque obediendo.* Ex his ad argumentum in forma, nego antecedens, & maiorem probationis, ad cuius probationem diſtinguo primam partem maioris: votum Virginitatis dicit eſſentialiter diſſenſum in copulam actualem, concedo; in copulam in radice, nego: & ſecundam: matrimonium *ex parte contractus*, involvit, &c. concedo; *ex parte contrahentis*, nego. Vnde nulla eſt incomponibilitas, nam eſt diſſenſus in copulam actualem, & conſenſus implicitus in eam in radice, ac pro inde conſenſus, & diſſenſus reſpectu diverſorum.

Sed contra primo: Matrimonium S. Joſeph fuit inter omnia perfectiſſimum iuxta tertiam concluſionem ſectionis primæ; atqui non fuiſſet perfe-

ctiſſimum

ctiſſimum ſi fuiſſet conjunctum cum voto Virginitatis, & hoc compatibile cum conſenſu in copulam in radice, nam perfectius foret, ſi votum nullo modo, adhuc in radice fuiſſet cum eo conſenſu componibile, vt patet: ergo non fuit. Nota: quod vt conjungeretur matrimoniũ verum cum voto, debebat hoc eſſe compatibile cum conſenſu implicito, ſeu in radice in copulam, nam hic conſenſus matrimoniũ eſt. Neque id obſtat perfectioni, aut matrimonij, aut voti cum reliquant ea in conjuncto, qualiter meliora, quam ſeorſim ſunt. Hinc ad inſtantiam, nego minorem cum probatione illius, & conſequentia.

Contra ſecundo: ex P. Marin ſup. n. 22, & 23: verum matrimonium non debet eſſe conſenſus adhuc *implicitus* in copulam, ſed tantum in traditionem corporum ordinatam ad illam, & mutuam ipſius radicalem obligationem; atqui totum hoc ſolum eſt referri *tranſcendentaliter*; non autem conſentire *implicite* in copulam: ergo talis conſenſus implicitus non requiritur, ſed ſufficit reſpectus tranſcendentalis. Probatur minor, & ſimul prima maioris pars triplici ratione. Prima: Non omnis, qui vult cauſam, ſeu radicem, vult implicitè effectum, præſertim ſi ea ſit contingens, & ab hoc ſuperabilis; alioqui Deus volens noſtram libertatem ad peccandum, vellet peccatum ſaltem implicitè, quod quidem eſt falſum, cum ſolum referatur tranſcendentaliter ad illud: ergo, qui contrahit matrimonium non eo ipſo vult implicitè copulam, ac per conſequens verum matrimonium, &c. Secunda: Qui vult

ani-

animal riſibile non dicitur velle implicitè riſum, ſed tantum referri in eum tranſcendentaliter: ergo qui vult obligationem radicalem in copulam, non eo ipſo eam vult implicitè, ſed preciſè refertur tranſcendentaliter in illam.

Tertia: conſenſum ferri *implicitè* in copulam, ſonat ferri *affectivè* in eam, ſicut ferri *implicitè* in riſum, ſonat ferri in eum *affectivè*; atqui non eſt neceſſe ad valorem matrimonij, quod conſenſus feratur *affectivè* in copulam, ſed ſolum in obligationem radicalem ad eam: ergo nec quod feratur *implicitè*. Pro ſolutione inſtantiæ præmitto primo: quod ipſe P. Marin. n. 22. ait: hanc quæſtionem de nomine bene vocari à P. Hurtado; atque id optimè probat opinione ſua, in qua idem dicit, quod nos, ſolum mutatis vocibus. Verum ego, licet magni faciam voces Patris Marin, pluris tamen incomparabiliter æſtimo, quemlibet minimum terminum Eximij Doctoris, & P. Thomæ Sanchez, ideoque cum eis loqui potius eligo.

Præmitto ſecundo: quod vt bene notavit P. Suarez ſup. ſec. 1. in fine, habere in cauſa, ſeu in radice conſenſum in copulam, qui conſentit in matrimonium de ſe ad illam ordinatum, non eſt proprie velle, & conſentire, maximè quando per contrariam voluntatem proponit quis efficaciter, & directè vitare actum, vti per votum Virginitatis B. Virgo, & S. Joſeph propoſuere. Atque in hac etiam eſt ſentencia P. Marin, cuius tract. de actib. hum. diſp. 2. ſec. 2. n. 24. ſunt iſta verba: *Si quis poneret*

cauſam

cauſam effectus boni, aut indifferentis, & conſtaret, ponentem talem cauſam ob iſtos fines totis viribus procurare non exiſtentiam; effectus, & quod effectus non eſſet, tunc non eſſet voluntarius effectus. Inde miror P. Marin argumentum oppoſuiſſe, ſi legit Eximium Doctorem. Ex his autem fit, quod dictus conſenſus, non eſt *propriè*, & *ſimpliciter* conſenſus, volitio, aut affectio in copulam, ſed ad ſummum *ſecundum quid*, & *impropriè*.

Nunc ad inſtantiam in forma, nego primam maioris partem, & minorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo antecedens: non omnis qui vult cauſam, ſeu radicem, vult implicitè effectum, volitione propriè, & ſimpliciter tali, vi cuius effectus ſit ipſi voluntarius, concedo; impropriè, & ſecundum quid tali, nego. Ad paritatem incluſam dic: quod Deus volens noſtram libertatem ad peccandum, non vult adhuc implicitè peccatum, quia libertas, neque nobis datur vt peccemus, neque de ſe intrinſecè ordinatur ad peccatum, ſed extrinſecè ex noſtra prava determinatione: at matrimonium eſt ad traditionem corporum, parit mutuam obligationem in copulam, & de ſe ordinatur intrinſecè ad illam; atque adeo qui explicitè vult matrimonium, vult eam implicitè. Ad ſecundam, nego antecedens, quod à P. Marin ſupponitur verum, & eſt falſum. Ad tertiam, nego maiorem cum probatione incluſa, propter dicta præmiſſo 2. in fine.

Argumentum tertium: Si S. Joſeph emiſiſſet votum Virginitatis, emiſiſſet perfectiori modo; cum

ipſe fuerit, iuxta diſſ. 4. dicenda, in altiſſimo perfectionis gradu; atqui non emiſit perfectiori modo, cum non fuerit ſolemne tale votum, & quia alias S. Joſeph factus fuiſſet inhabilis ad matrimonium, & quia ſolemnitas poſtea eſt ab Eccleſia introducta, vti expreſsè docuit Bonifacius Papa VIII. in cap. vnico de voto in 6: ergo non emiſit. Nota cum Eximio D. ſup. diſp. 6. ſect. 3. in fine: quod ſolemnitas voti per ſe loquendo non eſt neceſſaria ad perfectionem Virginitatis, cũ ſolum ſit inducta, ne homines imperfecti, & mutabiles à Sancto propoſito reſilirent; id autem timendum non erat in S. Joſeph, qui animum ſemper habuit in virtute immutabilem. Hinc in forma, nego minorem, cuius probationem, diſtinguo: cum non fuerit ſolemne, & talis ſolemnitas eſt neceſſaria ad perfectionem Virginitatis, nego; & non eſt, concedo.

Argumentum quartum: Votum Virginitatis eſt contra ſubſtantiam matrimonij: ergo ſi S. Joſeph illud emiſit, invalidè matrimonium contraxit. Probatur antecedens: de ſubſtantia matrimonij eſt trahere ſecum obligationem reddendi debitum; ſed votum Virginitatis trahit ſecum obligationem non reddendi debitum: ergo eſt contra ſubſtantiam matrimonij. Aliter: contra ſubſtantiam matrimonij eſt obligatio vitandi prolem; ſed votum Virginitatis eſt obligatio vitandi prolem; cum ſit obligatio ad vxorem non accedendi: ergo eſt contra ſubſtantiam matrimonij. Ad argumentum, nego antecedens, & diſtinguo maiorem probationis; eſt tra-

he-

here ſecum obligationem radicalem, & remotam, cōcedo; proximam, ſubdiſtinguo: ſi ex mutuo conſenſu ſe adſtringant conjuges voto Virginitatis, aut continentiæ, nego; ſi non ita, tranſeat. Solutio eſt ſatis clara. Ad illud *aliter*, diſtinguo maiorem: contra ſubſtantiam matrimonij eſt obligatio vitandi prolem, per merum non vſum, ex mutuo conſenſu, nego; per malum vſum, tranſeat, quia iuxta ſupra dicta, de ſubſtantia, ſeu eſſentia matrimonij ſolum eſt *vinculum*, vſus vero quid accidentale; & eiſdem terminis debitè applicatis, diſtinguitur minor.

Argumentum quintum: Votum eſt, *Promiſſio facta Deo de meliori bono;* atqui promiſſio Virginitatis in lege veteri non erat de meliori bono; nam potius erat oppoſita legi vniverſali, qua Filiæ habentes hæreditatem tenebantur nubere: ergo talis promiſſio non poterat eſſe votum, ac per cōſequens S. Joſeph non illud emiſit. Nota: quod lex in argumento citata non obligabat ad peccatum, ſed ad maledictum, & hominum exprobrationem, vti ait S. Bern. homil. 3. ſup. *Miſſus eſt*, qui B. Virginem ſic loquentem introducit: *Melius eſt mihi maledictum incurrere, quā caſtitatem violare: nam licet video maledictum, ſed non peccatum: hæc enim maledictio quid eſt, niſi hominum exprobratio?* Hinc nego minorem, & probationem, diſtinguo: erat oppoſita legi obliganti ad peccatum, nego; non ita, concedo. Inde cum S. Joſeph, & Maria ex ſpeciali inſpiratione Dei ſe propter amorem Virginitatis expoſuerint exprobrationi hominum, conſtat rem gratiſſimam Deo in Vir-

Virginitatis voto feciſſe ; & illud fuiſſe de meliori bono.

SECTIO III.

AN S. JOSEPH, EXCEPTA GENERatione carnali, ſit, & in aliquo vero ſenſu propriè ſit Pater *Domini noſtri Jeſu-Chriſti*?

DUabus præcedentibus ſectionibus titulum expoſuimus, in quo nomen *Patris* S. Joſeph conceſſum fundatur, nimirum matrimonium cum Dei Genitrice: nunc vero, an tale nomen *Patris* Filij Dei, in aliquo vero ſenſu, illi propriè conveniat? Venit diſputandum. Præmitto igitur primo: quod Paternitas S. Joſeph non eſt *intrinſeca* conſiſtens in aliqua qualitate ei intrinſecè inhærente, & eius potentiam naturalem elevante ad Chriſti productionem, quia cum Chriſtum non genuerit, nullum in generationem illius, præſtitit influxum, ac pro inde talis qualitatis elevatione non eguit. Eſt igitur ea Paternitas *extrinſeca*, ſtans nimirum in electione Dei, qua Joſeph in tam ſublimem dignitatem evexit.

Præmitto ſecundo: quod ex tribus relationum generibus, in quæ omnes diviſit Philoſophus, in ſecundo genere ſunt illæ, quæ *in actione* conſiſtunt;

ſtunt; vt relatio Patris ad Filium; atque illæ etiam, quæ conſiſtunt in *quaſi actione*, vt relatio Domini ad Servum, ſuperiorisque ad ſubditum. Inde Paternitas S. Joſeph eſt relatio quædam prædicamentalis *ſecundi generis* ſtans *in quaſi actione*, videlicet *in ſuperioritate* (de qua poſtea) ergà Chriſtum, & deſtinatione divina ad officia Paterna. Hinc fit, quod diverſo modo diſcurrendum, & loquendum ſit penè in omnibus de Paternitate S. Joſeph, & Maternitate B. Virginis reſpectu Chriſti: hæc enim verè Deum genuit, non ita S. Joſeph.

Premitto propter hoc tertio: quod P. Petrus de Torres, è noſtra Societate Chilenus Scriptor tom. de excellentijs S. Joſeph aſſump.4. diſcurſu 8. per totum defendit, Paternitatem S. Joſeph eſſe formam Sanctificantem: verum in fine Prologi ad Lectorem advertit, ſe in hac, & ſimilibus opinionibus, non tam loqui in toto rigore ſcholaſtico, quam modo panegyrico, & laudatorio. Et prudenter quidem id facit, difficillime enim à Theologis Scholaſticis poſt Tridentinum admittetur forma Sanctificans de facto exiſtens omnino extrinſeca ſubiecto, qualis eſt in S. Joſeph Paternitas Chriſti; cum de poſſibili tantum pauci, & timidè admittant.

Rationes autem huius Authoris ad ſummum probant (imo ita ſæpe exprimunt) Paternitatem S. Joſeph eſſe Sanctitatem, quatenus Sanctitatem infert, & trahit ſecum: hoc tamen ſolum eſt, eſſe Sanctitatem *illativè*, non vero *formaliter*, & vt *quod*.

Ne-

Neque paritas, quam n. 227. affert de Maternitate Dei Sanctificante vrget: nam ea vt *radicalis* conſiſtit in qualitate ſupernaturali phiſicè Mariæ inhærēte: vt *actualis* vero, qualiter eſt relatio prædicamentalis ſecundi generis, ſtat *vt quo* in vera actione generativa hominis Dei, quæ eſt in *ſuo egredi* intrinſeca Virgini, vt pote modus illius, & poſtmodum eadem *moraliter* permanet, & inhæret: *vt quod* autem licet dicat terminum, nimirum Filium Dei; hic tamen, quamvis *phiſicè* eſt extrinſecus, eſt *moraliter* intrinſecus Mariæ propter *moralem* identitatem, quam ſecundum Patres, & jura habet cum illa. Quibus ex omnibus nihil convenit Paternitati S. Joſeph: indeque eſt clariſſima diſparitas. Atque ego quidem, etſi devotionem Authoris laudem, eius tamen ſententiam prorſus rejicio, vt pote contra mentem omnium Theologorum. Nunc ſit.

Prima concluſio: S. Joſeph eſt Pater putativus Vnigeniti Filij Dei. Probatur concluſio ex Scriptura: nam Lucæ 3. dicitur: *Putabatur Filius Joſeph*. Matth. 13. *Non ne hic, eſt Filius Fabri*? Et Joan. 6: *Non ne hic eſt Filius Joſeph*? Item Lucæ 2: *erant Pater, & Mater eius mirantes*; atque ibidem: *cum inducerent Puerum Jeſum Parentes eius*, & ille impoſuit Chriſto nomen Matth. 1. *vocabis nomen eius Jeſum*, quod eſt proprium Patris. Demum ipſa Beatiſſima Virgo eodem cap. 2. Lucæ ait: *Pater tuus, & Ego dolentes quærabamus te*. Tum ſic: ille eſt Pater Chriſti, cui tale nomen dedere ipſe Deus, & ipſa Dei Mater; atqui ipſe Deus per ora Evange-

liſta-

liſtarum, & Dei Mater per os ſuum, nomen Patris Chriſti dedere S. Joſeph: ergo licet putativus eſt, Pater Chriſti. Minor clarè conſtat, ex verbis Virginis allatis, quoad nominationem ipſius Virginis; quoad nominationem vero ipſius Dei, expreſſa eſt S. Bern. homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, ibi: *Qualis ſit S. Joſeph conjice ex appellatione, qua licet diſpenſatoriè, meruit nominari à Deo, vt Pater Dei & dictùs, & creditus ſit.* Progrediamur vlterius, & ſit.

Secunda concluſio cum Eximio D. tom. 2. citato, ſec. 1. diſp. 8. §. *tertio igitur*: In aliquo vero ſenſu, excepta carnali generatione, S. Joſeph propriè, & ſecundum rem eſt Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Probatur concluſio cum P. Morales lib. 3. trac. 8. n. 9. ex Scriptura, nam Matth. 1. dicitur: *Antequam convenirent inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Et ibi Doctor Maximus, *Non ab alio, quam à Joſeph, qui pene licentia maritali futuræ vxoris omnia noverat.* Tum ſic argumentor: qui in propria domo, vel loco invenit Theſaurum reconditum, acquirit proprietatem illius; Ideo enim Matth. 13 *qui invenit Theſaurum in agro, emit agrum illum*: & expreſsè deciditur leg. vnica. cod. de Theſauris lib. 10; atqui S. Joſeph in domo, & in agro ſuo, ſcilicet in Maria, invenit Theſaurum prætioſiſſimum Vnigeniti Dei, *in quo* (vt ait Apoſt. Colo. 2.) *ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: ergo acquiſivit proprietatem illius, ac per conſequens propriè, & ſecundum rem, excepta carnali generatione, eſt Pater Chriſti.

Vlterius, & pulchrè ex P. Suarez: *Quod in alieno ſolo naſcitur, vel ædificatur, ſub illius dominium cadit cuius eſt ſolum;* vt habetur in §. *cum in ſuo ſolo,* verſi, *ex diverſo* Inſtitu. de rerum diviſione. Vnde etiam ſi miraculosè in horto alicuius fons naſceretur, illius eſſet,cuius eſt hortus; atqui *fons ſapientiæ,* ſcilicet Chriſtus Dominus natus eſt de Spiritu Sancto in loco, & horto S. Joſeph, nimirum in Maria, quæ erat terra puriſſima, propria illius, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. *Mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed Vir:* ergo Chriſtus Dominus eſt proprius S. Joſeph; ſed non alia proprietate, niſi in ratione Filij: ergo S. Joſeph propriè, & ſecundum rem (exceptione generationis ſemper intelligenda) eſt Pater Chriſti Domini.

Probatur iam concluſio ex Patribus: Nam S. Joann. Chryſoſt. loquens cum S. Joſeph homil. 4. in Matth. inquit: *Et ſi nihil habeas Beate Joſeph, in hac generatione commune; tamen, quod proprium eſt Patris, quodque nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo.* Atque ego ſubſumo: ſed ſolum generatio carnalis læderet Virginis dignitatem: ergo ea excepta, quod eſt proprium Patris,concedendum eſt S. Joſeph, ac pro inde, & quod in aliquo vero ſenſu ſit Pater propriè talis Domini noſtri. Item Rupertus in Matth. 1. ad ea verba, *Joſeph Virum Mariæ,* ſic ait: *Virum Mariæ cum dicit, magnum & verum nomen B. Joſeph attribuit Evangeliſta: quia ſi eſt Vir Mariæ, eſt Pater Domini.*

Ex quibus ſic arguo: eo modo, quo S. Joſeph di-

dicitur ab Evangeliſta *Vir Mariæ*, dicitur etiam *Pater Domini;* atqui S. Joſeph, excepta ſolum commixtione carnali, eſt propriè, & ſecundum rem *Vir Mariæ*: ergo pariter excepta ſolum carnali generatione, eſt propriè, & ſecundum rem *Pater Domini*. Demum probatur ratione Dr. Eximij concluſio: ratione vinculi matrimonij Vir, & Vxor fiunt quodammodo *vnum*; ita vt per commixtionem carnalem fiant *vna caro*; at per vinculum ipſum præcisè ſumptum fiant *vnum cor*, & *vna voluntas*; atqui ex hac vnitate fit, vt habeant bona communia, & quod ad vnum pertinet, pertineat ad alium: ergo quod eſt proprium Mariæ, eſt etiam proprium Joſeph; ſed Chriſtus eſt propriè Filius Mariæ: ergo etiam quodammodo, & in gradu inferiori, eſt propriè Filius Joſeph.

Sed contra argues: Non eſt propriè, & ſecundum rem Pater, ille, qui non generat Filium; atqui S. Joſeph Chriſtum non generavit: ergo non eſt propriè, & ſecundum rem Pater Chriſti. Diſtinguo maiorem: qui non generat Filium, nec alium titulum habet, vi cuius Filius ſit propriè illius, concedo; ſi habeat, vti habuit S. Joſeph, iuxta noſtras probationes, nego; & conceſſa minore, nego conſequentiam. Solutio patet tum ex dictis, tum ex D. Aug. de conſenſu Evangeliſ. cap. 1. aiente: *Neque enim propterea non erat Joſeph appellandus Pater Chriſti, quia illum non genuerat: quandoquidem rectè Pater etiam eſſe potuit eius, quem non ex ſua Conjuge procreatum aliunde adoptaſſet*. Vbi vides; adoptionis

nis titulum ſufficere ad appellationem propriã Patris: Quanto magis, ſi adſint alij tituli, vti accidit in S. Joſeph?

Ad hæc rogabis duo: Primum, an Chriſtus Dominus poſſit dici Filius adoptivus S. Joſeph? Secundum: an S. Joſeph habuerit in Filium Dei patriam poteſtatem? Ad primum igitur reſpondeo: quod Chriſtus Dominus poteſt dici Filius adoptivus S. Joſeph. Ratio eſt: *quia adoptio eſt legitima actio per quam, qui Filius alioqui non eſt, pro filio habetur*, vt conſtat inſtitut. de Adoptionibus in Gloſſã; atqui Chriſtus Dominus, qui alioqui non erat Filius Joſeph, habebatur ab eo; & ab alijs, pro illius Filio: ergo poteſt dici Filius adoptivus S. Joſeph: Vlterius: Nam quilibet ſive maſculus, ſive fœmina adoptare poteſt, leg. adoptio, ff. de Adoption. dummodo ſit natu maior Is, qui adoptat, ita vt poſſit is, qui adoptatur, eſſe Filius eius naturalis; atqui S. Joſeph, & erat natu maior Jeſu, & hic in alia providentia, iuxta dicenda ſecutura ſectione, poterat eſſe Filius eius naturalis, id eſt, genitus per naturalem generationem: ergo poteſt dici Filius adoptivus S. Joſeph.

Adverte tamen: Chriſtum Dominum non poſſe in toto rigore juris dici Filium adoptivum S. Joſeph, ſed *quodammodo adoptivum*, vt ſcite loquitur P. Suarez ſupra: quoniam aliqua conveniunt adoptioni juridicæ, quæ in Chriſto, & Joſeph non reperiuntur. Etenim Adoptio alia eſt propriè talis, & vocatur *arrogatio;* alia, quæ generis tantum no-

men

men retinet, & dicitur *adoptio*. Prima datur, quando is, qui ſui juris eſt, tranſit vna cum filijs, & rebus ſuis, & omni jure, quod habet, in poteſtatem eius, qui arrogat Principis authoritate: ſecunda vero, quando is, qui alieni juris eſt in filium aſſumitur authoritate Magiſtratus competentis, dummodo penes eum ſit plena actio, hoc eſt, merum, & mixtum imperium leg. 1. & 2. ff. de adoption. Leg. 1. cod. eodem. Hæ autem differentiæ, ſicut & plures aliæ videndæ apud juriſtas in Chriſto, & Joſeph non inveniuntur: Vnde Chriſtus non in toto rigore juris, ſed *quodammodo* Filius fuit adoptivus S. Joſeph.

Jam vero reſpondeo ad ſecundum: S. Joſeph in aliquo ſenſu habuiſſe in Chriſtum Dominum patriam poteſtatem. Ratio eſt, quia vna ex cauſis, qua patria poteſtas exiſtit eſt, adoptio, qua quis alium, qui ſuus filius non eſt, ſibi aſciſcit, & proprium facit. leg. ſi Paterfamilias ff. de Adoption. & Gloſſ. inſtit. de Nupt. §. *aliquando*; atqui hæc cauſa extitit in S. Joſeph, tum iuxta proximè dicta, tum quia lex adoptionis fuit antiquiſſima, neque ſolum Romani, ſed etiam Græci, & vetuſtiſſimi Hæbrei filios ſibi adoptare conſueverant, vt patet in Moyſe adoptato à Filia Pharaonis, & in Jacob adoptante Manaſſem, & Ephrain ex Filio Joſepho Nepotes; itaque cum Chriſto feciſſe probavimus S. Joſeph: ergo hic in aliquo ſenſu habuit in Chriſtum Dominum patriam poteſtatem.

Argues tamen primo contra primam reſponſio-

ſionem : ſi S. Joſeph fuiſſet Pater adoptivus Chriſti Domini, in eum tranſtuliſſet ius temporale in regnum Judæorum; ſed hoc eſt falſum, alioqui Chriſtus ex jure ſucceſſionis haberet tale ius, quod quidem iuxta fere omnium Theologorum ſententiam falſum eſt : ergo Joſeph non fuit Pater adoptivus Chriſti Domini. Ad argumentum, nego maiorem cum P. Card. de Lugo de Incarn. diſp. 30. ſec 1, n. 2. nam licet S. Joſeph fuerit de familia, & domo David deſcendens ab eo per Salomonem, & etiam Pater adoptivus Chriſti; adoptio tamen non tranſfert ius Regni, in præjudicium aliorum deſcendentium, vti certum eſt; & certius de adoptione, quæ in toto rigore juris non eſt talis; qualiter fuit adoptio S. Joſeph.

Argues ſecundo contta ſecundam : In lege *item in poteſtate ff. de his, qui ſui, vel alieni juris ſunt*, hæc habentur : *in poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptijs procreavimus*, & in lege, *nam civium* ſequenti dicitur : *qui ex me, & Vxore mea naſcuntur in poteſtate mea ſunt*; atqui Chriſtus Dominus, neque ex nuptijs procreatus eſt à S. Joſeph, neque ex eo, & Vxore ſua Maria natus, ſed ex Spiritu Sancto conceptus : ergo S. Joſeph non habuit in Chriſtum Dominum patriam poteſtatem. Nota quod ex tribus cauſis oritur patria poteſtas. Primo ex juſtis nuptijs, iuxta leges huius argumenti. Secundo ex hoc, quod filij naturales efficiuntur legitimi, vel per ſubſequens matrimonium, vel eo quod offeruntur Curiæ, vel per reſcriptum Principis, vel

quod

quod tales nominantur à Patre, Inſtit. de Nup. §. *aliquando*. Tertio ex adoptione, iuxta dicta in probatione concluſionis. Hinc conceſſis præmiſſis, nego conſequentiam, quia ſolum probatur, Sancti Joſeph patriam poteſtatem oriri ſolũ ex tertia cauſa. Si autem tertio arguat aliquis, effectus patriæ poteſtatis, qui plures ſunt, & videndi apud Juriſtas, non poſſe convenire Chriſto, & S. Joſeph: reſponde, Ideo conſulto dictum eſſe in concluſione, habuiſſe S. Joſeph patriam poteſtatem *in aliquo ſenſu, non abſolutè*.

SECTIO IV.

VTRUM SI CHRISTUS DOMINUS IN alia providentia habiturus fuiſſet Patrem naturalem in terris, hic eſſet. S. Joſeph?

QUæſtionem hanc, quamvis nullum apud Doctorem, quem imitarer invenerim, in honorem S. Joſeph proponere placuit, & diſcutere. Pro reſolutione igitur illius præmitto primò: quod iuxta dicta tract. de B. Virgine. diſſ. 5. ſec. 3. licet in præſenti providentia (quæ quidem complectitur omnia decreta de facto concepta à Deo) Chriſtus Dominus conceptus ſit, & natus ex Matre Virgine; tamen in alia providentia, ſeu ſerie decretorum, potuit concipi, & naſci de Matre non Virgine, per conſortium Viri, qui in ea hypotheſi foret

ret verus illius, & naturalis Pater. Ratio autem eſt: quia ex tali conceptione, & nativitate, nulla ſequeretur contradictoria, vt videtur evidens: Adeoque vt D. Eximius, tom. 2. in 3. p. diſp. 10. ſect. 3. dixerit, contrariam huic ſententiæ, nec probabilem, nec veriſimilem eſſe.

Præmitto ſecundo: quod vti dixi de B. Virgine citato tract. diſſ. 2. ſec. 2. & 3, nimirum, eam debuiſſe influere in vnionem hypoſtaticam per duplicem qualitatem ſupernaturalem ipſi intrinſecè inhærentem, quia alioqui vera Dei Mater non eſſet, cum non eſſet cauſa *per ſe*, nec generaſſet Suppoſitum divinum: ſimiliter dicendum eſt de Patre Chriſti, in hypotheſi, quod illum haberet; videlicet, eum debuiſſe elevari ad productionem vnionis hypoſtaticæ duabus ſimilibus qualitatibus, ipſius animæ inhærente altera, altera corpori, vt illis tanquam Dei inſtrumentis vtramque generaret vnionem, ſcilicet, & eam, qua Verbum vnitur Animæ Chriſti, & eam, qua corpori vnitur. Ratio eſt, quia cum tales vniones ſint intrinſecè ſupernaturales, debet naturalis potentia ad eas producendas elevari; & cum Deus non faciat per ſe ipſum, quod per cauſas creatas facere poteſt, Patrem Chriſti elevaret per qualitates creatas: ſicut modo licet per auxilium extrinſecum poſſit elevare intellectum ad viſionem beatam, illum tamen per lumen creatum elevat.

Præmitto tertio: quod conſequenter ad hæc, quidquid tract. citato diſſ. 2. ſec. 4. & 5; diximus de Matre Dei, pariter dicendum foret de Patre illius

caſu

caſu quo daretur : nimirum ipſius Paternitatem fore relationem prædicamentalem ſecundi generis, ſtantem non vt nunc *in quaſi actione*, ſed *in vera actione* generativa hominis Dei : hancque relationem, itemque eas duas qualitates, Patrem Dei formaliter Sanctificaturas, ita vt etiam illius corpus fieret formaliter Sanctum, Sanctitate propria, & ſingulari per qualitatem corpoream ipſi inhærentem. Quomodo autem hæc omnia, & probentur, & ab argumentis contrarijs protegantur, citatis ſectionibus videndum eſt; nunc enim nobis, cum hæc non defendantur de facto, ſed in hypotheſi ſupponantur, in eis immorandum non eſt.

Præmitto quarto: quod licet non ſciamus certo quid Deus faceret in quæſtionis hypotheſi, circa electionem Patris Chriſti, cum in ea eſſet pleniſſimè liber ad eligendum, quem vellet : tamen ex eo quod de facto in hac providentia fecit prudenter, & probabiliter inferre poſſumus quid in alia eſſet facturus. Sic ſi Deus modo audit orationem *A.* Beatæ Virginis, prudenter credimus auditurum orationem *B.* ſimilem : & ſi modo Deus miſit Filium ſuum vt redimeret homines à peccato, quod Adam patravit in comeſtione pomi *A.* prudēter iudicatur miſſurus, ſi loco pomi *A.* comediſſet pomum *B.* Imo in nobis accidit frequenter vt ex vna operatione aliam ſimilem prudenter inferamus; ideo enim in regula 11. juris dicitur : *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* His ſuppoſitis.

Noſtra concluſio eſt : Si Chriſtus Dominus

in

in alia providentia concipiendus, & naſciturus fuiſſet ex Matre non Virgine, ac proinde habiturus verum, & naturalem Patrem in terris, hic eſſet S. Joſeph. Probatur concluſio: Deus in hac providentia elegit S. Joſeph in Patrem putativum Vnigeniti Filij ſui: ergo Deus in alia providentia eligeret S. Joſeph in Patrem verum vnigeniti Filij ſui. Probatur conſequentia, hoc diſcurſu: S. Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 29. inquit: *Si Dei voluntas providentia eſt, omnino neceſſe eſt, Omnia, quæ providentia fiunt, ſecundum rectam rationem optima, & Deo decentiſsima fieri, vt non ſit ea melius fieri*: Pariterque Cyrillus Alexand. ait: *Omnia Pater poteſt, & meliora ſemper vult*: ergo Deus in qualibet providentia eligit, quod eſt melius, optimum, & decentiſſimum, ſibi; atqui in hac providentia elegit S. Joſeph in Patrem putativum Vnigeniti Filij ſui: ergo quia S. Joſeph ad munus Patris erat melior, optimus, & decentiſſimus Deo; ſed S. Joſeph in alia providentia idem eſſet quoad ſuam melioritatem, optimitatem que ad munus Patris, & decentiam reſpectu Dei, vel proba contrarium: ergo Deus in alia providentia eligeret S. Joſeph in Patrem verum Vnigeniti Filij ſui.

Aliter loquendo de Beatiſſima Virgine: S. Joſeph in hac providentia electus eſt in Sponſum Puriſſimæ Mariæ, quia erat dignior inter omnes homines tanta Conjuge; atqui in alia providentia caſus quæſtionis, adhuc eſſet dignior, nam ea neque quoad Perſonam, neque quoad mores, illum variaret,

ret, vt videtur certum: ergo in ea alia providentia etiam eligeretur in Sponſum Puriſſimæ Mariæ; ſed hæc in ea providentia adhuc foret Mater Chriſti, licet non Virgo, cum contrarium, nec ſupponitur, nec probetur: ergo S. Joſeph in ea eſſet verus Pater Chriſti. Vlterius: ſi Deus in hac providentia ſub libertate *A* aliquam concipit electionem, prudenter, & probabiliter infertur, ſimilem concepturum ſub ſimili libertate *B* in alia providentia, iuxta præmiſſum 4; ſed in hac providentia ſub cognitione maximæ dignitatis S. Joſeph, conſtituente eius libertatem, vincenteque cognitiones retrahentes elegit S. Joſeph in Sponſum Mariæ, & Patrem putativum Chriſti: ergo in alia ſub ſimili libertate conſtituta ſimili cognitione, quæ ſemper maneret eadem, & cum eadem allicientia, eligeret S. Joſeph in Patrem verum Vnigeniti Filij ſui.

Imo non ſolum probabiliter, verum etiam moraliter certo *negativè*, infertur ex vna electione Dei, alia ſimilis, vel eadem ſub ſimili libertate; nam tunc aliquid eſt moraliter certum *negativè*, quando prudens eſt judicium de eo, & judicium de oppoſito non eſt prudens; atqui iuxta dicta prudens eſt judicium de eo, quod Deus in alia providentia ſub ſimili libertate eligeret S. Joſeph, quem in hac elegit; & judicium de oppoſito non eſt prudens, ſaltem attentis noſtræ concluſionis probationibus: ergo moraliter certo *negativè* electurum in ea S. Joſeph in Patrem verum Filij ſui, & non ſolum probabiliter infertur, ex eo quod modo in Patrem putativum

Chriſti, & Mariæ Sponſum elegerit. Dixi *negativè*, non autem *poſitivè*, quia vt *moraliter poſitivè* certo inferretur, deberet non manere formido partis oppoſitæ, quæ quidem manet.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum: Si S. Joſeph in alia providentia eſſet Pater verus Chriſti, eſſet illius Pater naturalis, & cauſa per ſe; atqui neque eſſet Pater naturalis, nec cauſa per ſe: ergo non eſſet Pater verus Chriſti. Probatur minor: eſſet Pater ſupernaturalis, & cauſa per accidens: ergo neque eſſet Pater naturalis, nec cauſa per ſe. Probatur antecedens: S. Joſeph in ea providentia conſtitueretur Pater per qualitates ſupernaturales, iuxta præmiſſum 2. atqui vt conſtitutus per eas, vt ſupernaturales, eſſet Pater ſupernaturalis, cum per aliquid ſupernaturale conſtitueretur in eſſe Patris; & vt conſtitutus per eas, vt qualitates, eſſet cauſa per accidens; nam omnis qualitas eſt de genere accidentis: ergo eſſet Pater ſupernaturalis, & cauſa per accidens.

Præmitto ad ſolutionem: quod S. Joſeph in ea hypotheſi, duplicem in generationem Chriſti concurſum præſtaret: Primum quidem *naturalem*, quo nimirum produceret vnionem inter Animam, & Corpus per communicationem materiæ ſeminalis, in qua *Virtualiter*, ſeu tanquam in virtute ea vnio continetur: Indeque attento hoc concurſu eſſet Pa-

 ter

ter naturalis Chriſti, & cauſa per ſe, cum per ſuam naturalem virtutem in vnionem, vt cæteri Patres influeret, & ea virtus ad hoc non ſe haberet per accidens, ſicut in ordine ad ſanandum ægrotos ſe habet Muſica in Medico. Secundum autem *ſupernaturalem*, videlicet in vnionem hypoſtaticam, iuxta præmiſſum ſecundum; & licet ratione huius concurſus poſſet dici Pater *ſupernaturalis*, vti dicitur B. Virgo *Mater miraculoſa; & ſupernaturalis*, apud plures Patres relatos à P. Ripalda, de ent. ſup. tom. 2. diſp. 79. ſec. 15. n. 111. Attamen melius dicetur Pater *connaturalis, & per ſe* Chriſti.

Ratio eſt: quia omni cauſæ adæquatæ effectus, eſt hic connaturalis, cum illi debeatur ipſius productio: in eo autem caſu adæquata cauſa vnionis Hypoſtaticæ reſultaret ex virtute naturali S. Joſeph, & ex qualitatibus elevantibus eam; indeque huic conjuncto tanquam cauſæ per ſe deberetur, eſſetque connaturalis vnionis productio; & rectè vocaretur S. Joſeph *Pater connaturalis, & per ſe Chriſti.* Ad modum quo, quia conjuncto intellectus creati, & luminis Gloriæ debetur, & eſt connaturalis productio viſionis beatificæ, intellectus vt cum lumine conjunctus eſt cauſa connaturalis, & per ſe viſionis, licet Lumen; quo elevatur, ſit accidens. Hinc ad argumentum in forma, nego minorem, & diſtinguo primam partem antecedentis probationis: eſſet Pater ſupernaturalis per excluſionem connaturalitatis, & alterius concurſus naturalis, nego; in alio ſenſu, admitto, & nego ſecundam partem propter dicta.

Ad

Ad probationem antecedentis, diſtinguo maiorem: conſtitueretur Pater per qualitates, & etiam per concurſum ſuæ naturalis virtutis generativæ, concedo; aliter, nego, & intellecta prima minoris parte ſicut prima antecedentis, nego ſecundam.

Argumentum ſecundum: ex eo quod Deus communicaverit S. Joſeph prædicatum communicabile creaturæ, male infertur, communicaturum in hypotheſi prædicatum incommunicabile; atqui prædicatum Paternitatis putativæ eſt communicabile creaturæ, & prædicatum Paternitatis veræ, eſt incommunicabile, alioqui contra D. Tho. 3. p. q. 28. art. 1: *Dignitas Dei Patris transferretur inalium*: ergo ex eo quod Deus de facto communicaverit S. Joſeph prædicatum Paternitatis putativæ vnigeniti ſui, male inferimus, communicaturum in hypotheſi prædicatum Paternitatis veræ. Probatur ſecunda minoris pars: Hoc prædicatum, *Paternitas vera, & naturalis*, ſe habet ſicut hoc *Aſeitas*, nam ſicut per aſeitatem conſtituitur Deus *in eſſe Dei*, ita per *Paternitatem in eſſe Patris*; ſed hoc *Aſeitas* eſt incommunicabile creaturæ: ergo, & hoc *Paternitas vera*.

Præmitto ad ſolutionem: quod ratio formalis, in qua conſiſtit Paternitas vera, & naturalis Chriſti non eſt eſſentialiter incommunicabilis creaturæ, ac pro inde nec ipſa Paternitas: nam ea ratio formalis ſtat in fœcunditate ad generandum activè Filium Dei, & ea fœcunditas à Deo communicata eſt Puriſſimæ Mariæ, dicente B. Albert. Mag: quod *Deipara elevata fuit in tantam fœcunditatem Divinæ generationi*

tioni ſimilem. De inde in forma, nego ſecundam partem minoris, & ad incluſam probationem illius ex D. Tho. dic: S. Doctorem non negare poſſibilitatem talis communicationis, ſeu tranſlationis, ſed tantum convenientiam; Ait enim: *Cum Chriſtus ſit verus, & naturalis Dei Filius non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur in alium.* Ad aliam eiuſdem ſecundæ partis probationem, nego *ſicut* maioris, & eſt diſparitas, nam ex eo, quod Aſeitas communicaretur creaturæ ſequeretur contradictio, nimirum, quod ea eſſet creatura, vt ſupponitur, & non eſſet, quia non eſſet *ab alio*; Aſt ex eo quod communicaretur Paternitas vera, nulla contradictio ſequeretur, vel illam oſtende. Aut ſi velis diſtingue *ſicut*: in ratione conſtituendi intra ſuum genus, concedo; in ratione incommunicabilis, nego, propter diſparitatem datam.

Argumentum tertium: Si S. Joſeph in hypotheſi eſſet Pater verus, & naturalis Chriſti, dignitas illius eſſet maior, quam dignitas B. Virginis, quia ſemper concurſus Paternus perfectior, quam Maternus eſt; atqui hoc eſt falſum, nam iuxta dicta tract. de Beata Virg. diſſ. 2. ſec. 6. dignitas Mariæ, eſt omnium maxima: ergo, & illud. Nota: quod concurſus S. Joſeph in ea hypotheſi non eſſet cauſæ principalis, nam talis repugnat reſpectu divini ſuppoſiti; ſed tantum inſtrumentalis elevatæ per ſupernaturales qualitates: inde æqualis foret concurſui B. Virginis, qui activus eſt, & cauſæ purè inſtrumentalis. De inde cum Pater verus, & Mater æquè

ſu-

ſumant denominationem à Filio, in exiſtimatione morali æqualis eſt vtriuſque dignitas, licet Pater reputetur *phiſicè* perfectior: Hinc in forma, nego maiorem, & diſtinguo illius probationem incluſam: concurſus Paternus perfectior eſt in generationibus ordinarijs, reſpectu ſuppoſiti creati, concedo, vel omitto; in generatione miraculoſa ſuppoſiti divini, nego.

Argumentum quartum: ex electione S. Joſeph in Patrem putativum Filij Dei, in præſenti providentia ſub libertate *A*, non poteſt adhuc probabiliter inferri electio in Patrem verum in alia providentia ſub libertate *B*: ergo falſa eſt ratio concluſionis. Probatur antecedens: Libertas *a* eſt dominium independens ab exercitijs alterius dominij: ergo ex electione, &c. Probatur antecedens: ideo non eſſet independens, quia libertas *a* eſt moraliter libertas *b*; ſed libertas *a* non eſt moraliter libertas *b*, in ordine ad ea, quæ facit, vt diſtincta à libertate *b*; qualiter ſe habet libertas Dei ad electionem S. Joſeph in hac providentia, quam concepit vt alligatam libertati *a*: ergo eſt dominium independens ab electione libertatis *b*. Vlterius: quoties non aufertur titulus ad diverſitatem electionis, non poteſt prudenter inferri electionis vniformitas; atqui electio S. Joſeph ſub libertate *a* Dei, non aufert titulum ad diverſitatem electionis ſub libertate *b*, cum non auferat illius indifferentiam, & dominium ad diverſam electionem: ergo ex præſenti electione nequit prudenter inferri ſimilis electio in alia providentia.

Præ-

Præmitto ad ſolutionem primo: quod libertas *a* omnino ſimilis libertati *b* eſt eadem cum hac; non quidem *phiſicè* cum habeant conſtitutiva diſtincta, ſed *moraliter*, in ordine ad prudenter, licet formidolosè judicandum eumdem eventum ſub vtraque futurum. Sic tenemur vitare occaſionem proximam peccandi; quia licet libertas *a*, ſub qua lapſi ſumus in vno inſtanti, ſit phiſicè diverſa à libertate *b*, in alio: tamen, cum occaſio ſit eadem, reputatur eadem moraliter libertas, & prudenter timetur ſimilis lapſus. Secundo: quod electio ſub libertate *a* non aufert indifferentiam, aut dominium libertatis *b* ex parte *actus primi*, cum non ſit neceſſitas antecedens, ſed conſequens; aufert tamen indifferentiam ex parte *actus ſecundi*, quia eadem electio, vel ſimilis ei, quæ fuerat ſub *a* prudenter judicatur futura ſub *b*: & ad eam libertas *b* prudenter creditur determinata.

Hinc ad argumentum in forma, nego antecedens, & diſtinguo antecedens probationis: libertas *a* ea ratione, qua eſt diſtincta à *b*, nimirum *phiſicè*, eſt dominium independens, concedo; ea ratione, qua eſt eadem, ſcilicet *moraliter*, nego. Ad antecedentis probationem, diſtinguo maiorem: quia eſt moraliter libertas *b* in ordine ad *certo poſitivè* iudicandum eamdem electionem ſub vna, ac ſub alia, nego; ad *prudenter*, ſed *formidolosè*, judicandum, concedo, & minorem: non eſt moraliter libertas *b*, in ordine ad ea, quæ facit, vt *phiſicè* diſtincta à libertate *b*, nego; vt *moraliter* diſtincta, concedo propoſitionem, & nego ſuppoſitum, quod ſit moraliter diſtincta; non

enim

enim eſt; atque ideo facit eamdẽ electionem, quamvis influxu alligato libertati *phiſicè diſtinctæ*. Ad id quod additur, diſtinguo minorem, cum probatione incluſa: non aufert titulum, cum non auferat indifferentiam ex parte actus primi, concedo; ex parte actus ſecundi, nego. Imo hanc non aufert, ſed ſupponit ablatam per determinationem libertatis *a*.

Argumentum quintum: Sancti PP. videntes, quod ex eadem maſſa alios Deus prædeſtinat,& alios reprobat, communiter ad judicia Dei recurrunt; atqui non alia ratione, niſi quia Deus ſub ſimili libertate difformiter operatur: ergo ita eſt, ac per conſequens, ex electione S. Joſeph in hac providentia, non infertur prudenter ſimilis electio in alia, cum vnum ex alio non inferatur prudenter, quando oppoſitum ſæpè contingit. Vlterius: electio S. Joſeph ſub libertate *a*, neque influit in electionem ſub *b*, neque illam determinat, neque minuit dominium, & indifferentiam ad eam; atqui ex electione neque influente in aliam, neque eam determinante, neque minuente dominium, & indifferentiam ad eam, nequit illa prudenter inferri: ergo ex electione S. Joſeph ſub libertate *a* præſenti, nequit ſimilis electio ſub libertate *b* prudenter inferri in alia providentia.

Præmitto ad ſolutionem: duplici ex capite PP. recurrere ad judicia Dei. Primo. quia frequenter ſub ſimili libertate operatur vniformiter; ideoque quando raro difformiter operatur, vt in caſu argumenti, non eſt aliud,quod dicatur, niſi, *incomprehenſibilia ſunt judicia eius*. Hoc autem potius probat,

quam

quam impugnat noſtram concluſionem, nam ex eo, quod frequenter, & non raro accidit, prudenter infertur ſimilis eventus, vt patet in occaſione proxima. Secundo: quia ſæpe quoad Deum ſunt diverſæ libertates, quas nos iudicamus ſimiles; propterea que quando Deus ſub libertate, quoad nos ſimili, difformiter operatur bene recurritur ad judicia Dei, apud quem libertas, quæ nobis videtur ſimilis, fortè diverſiſſima eſt.

Nunc ad argumentum in forma, diſtinguo maiorem: communiter ad judicia Dei recurrunt, quia ſub ſimili libertate frequenter facit diverſa, nego; quia raro diverſa facit, ſubdiſtinguo: quia ſimili, quoad Deum libertate difformiter operatur, nego; ſimili quoad nos, & quoad Deum diſſimili, concedo, & nego minorem. Ad id quod additur conceſſa prima parte maioris, diſtinguo ſecundam; & tertiam: neque illam determinat, neque minuit indifferentiam ex parte actus primi, concedo; ex parte actus ſecundi, nego, iuxta dicta in argumento antecedenti, præmiſſo ſecundo. Denique alia ſunt argumenta probantia in hominibus, non inferri adhuc probabiliter ſimilem eventum ſub libertate omnino ſimili; quæ quoniam notiſſima Deum inter & homines diſparitas intercedit, proponere non eſt opus. Alia autem ſunt, quæ non concluſionem, ſed ſuppoſitionem, in qua procedit, poſitam præmiſſo primo, impugnant; ideoque hic, vt pote non huius quæſtionis omittuntur. Videre illa poteris in noſtro tract. de B. Virg. diſſ. 2. ſec. 3. & diſſ. 5. ſec. 3.

DISSERTATIO III.

DE SUBJECTIONE CHRISTI, MARIÆ, & omnis Creaturæ ad S. Joſeph.

CVM RATIONE NATVRALI DICTANTE Filius ſubjiciatur Patri, Vxor Marito, & huic quidquid Filio, & Vxori, jure ſubjicitur, poſtquam de matrimonio cum Maria, & Paternitate S. Joſeph reſpectu Filij Dei egerimus, de eorum ad Joſeph ſubjectione, recto ſuccedit ordine diſſertatio. Sit igitur.

SECTIO I.

AN CHRISTUS DOMINUS, ET MAria Deigenitrix ſubjecti fuerint S. Joſeph?

PRæmitto primo: quod ſubjectio alia eſt *ſervilis*, alia *Filialis*, & *ingenua*. Prima eſt quam habent ſervi, & famuli reſpectu ſuorum dominorum, oriturque à rigoroſa, & ſtricta ſervitute. Secunda eſt, vi cuius Filij ſubduntur, & obediunt Parentibus ſuis: Atque de hac quærimus, an fuerit aliquomodo in Chriſto reſpectu S. Joſeph, & pariter in Maria? Secundo: quod Chriſtus vt *Deus*, nulli creaturæ, imo neque ipſi Deo poteſt dici *ſubjectus*, cum ſubjectio dicat inferioritatem, quam Chri-

Chriſtus *vt Deus*, neque reſpectu creaturæ, neque reſpectu ipſius Dei poteſt habere. Inde in hac quæſtione ſolum loquimur de ſubjectione Chriſti *inquantum homo eſt*, ſeu ſecundum humanitatem.

Præmitto tertio: quod, vt bene advertit Exim. Doctor. ſup. diſp. 8. ſec. 1: ſuperioritas S. Joſeph reſpectu Chriſti, & huius obedientia magis ſignificat *vſum*, quam *debitum*. Ratio eſt, quia Chriſtus propter ſuæ Perſonæ dignitatem nulli hominum debuit propriè ſubjici; habuit tamen in vſu ſubjectionem, & obedientiam Parentibus ſuis. Neque id derogat excellentiæ dignitatis S. Joſeph, cum ad illam declarandam ſit ſatis, & quod præcisè conſiderata humana conditione, atque origine futurùs fuiſſet Chriſtus jure ſubditus Joſeph; & quod quamvis ratione divinitatis exemptus eſſet; de facto tamen voluit eſſe Joſeph ſubjectus, eique veluti Patri, ac ſuperiori obedientiam præſtare, honoreque eum afficere.

Præmitto quarto: quod licet, vt bene ait S. Aug. lib. de vera Relig: *Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem geſſit, diſciplina morum fuerit*: attamen in eo obedientia præcipuè reſplenduit: id quod bene probat illa Apoſtoli ad Phylipp. 2. ponderatio: *factus obediens vſque ad mortem*: & conveniens erat vt in Chriſto obedientia vſque adeo eluceſceret: venit enim in mundum primario ad inobedientiam ſanandam, talis ſi quidem fuit peccatum Adæ iuxta D. Tho. lec. 5. in fin. ibi: *Primum hominis peccatum fuiſſe videtur inobedientia.* Atque id expreſſit

Apoſto

Apoſtolus ad Rom. 5. dicens: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Cum igitur primario venerit Chriſtus, vt homines à macula originali, quæ in Adamo fuit perſonalis inobedientia redimeret; excellere neceſſe fuit in obedientia non ſolum reſpectu Patris Æterni, verumetiam reſpectu Parentum ſuorum temporalium. Hoc autem vt pateſcat. Sit.

Prima concluſio: Chriſtus Dominus aliquomodo ſubjectus fuit Patri ſuo putativo S. Joſeph. Probatur concluſio ex Scriptura, vbi expreſſa eſt; Lucæ enim 2. dicitur: *Deſcendit cum eis*, ſcilicet, Maria, & Joſeph, *& venit Nazareth, & erat ſubditus illis*: ergo Chriſtus aliquomodo, nimirum ſub explicationibus datis in tribus primis præmiſſis, fuit ſubjectus S. Joſeph. Probatur etiam concluſio ex Patribus: nam S. Ber. homil. 1. ſuper *Miſſus eſt*, ait: *Quis? Quibus? Deus hominibus, Deus inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus, & Poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ; nec tantum Mariæ, ſed etiam Joſeph.* Et Gerſon etiam Serm. de Nativ. Virg. conſideratione 3. inquit: *& erat ſubditus illis. Subditus Fabro is, qui fabricavit Auroram, & Solem. Phs.* 63.

Nec omittendum duxi, quod ex hiſtorijs Catholicorum Orientalium traductis in latinum ex hebreo, Izolanus refert 4. p. C. 9. per hæc verba, inquam ex ore Chriſti prodeuntia: *Ego converſatus ſum cum Joſepho in omnibus, ſicut ſi eſſem Filius eius,*

eius, & eram per omnia ſicut ipſe, & obediebam ei in omnibus, nec vnquam tranſgreſſus ſum verbum illius, & eram ſubditus illi, ſicut Filij Parentibus, & diligebam Joſeph valde, ſicut pupillam oculi mei. Quid clarius? Jam vero ratione probatur concluſio: quia naturalis ratio dictat, vt Filij etiam adoptivi ſubjiciantur, & obediant Patribus ſuis; hi enim loco naturalium ſunt; atqui Jeſus fuit Filius quodammodo adoptivus S. Joſeph, vti ſtabilitum, & probatum eſt diſſ. 2. ſec. 3: ergo fuit quodammodo ſubjectus S. Joſeph. Vlterius: Chriſtus venit in Mundum vt opere nos, & Verbo humilitatem, atque obedientiam non ſolum Deo, verum etiam hominibus edoceret; ergo præceſſit exemplo ſubijciens ſe, & humiliter obediens Patri putativo ſuo S. Joſeph.

Secunda concluſio: Beatiſſima Virgo Maria Deigenitrix aliquomodo fuit ſubjecta S. Joſeph. Probatur concluſio ex Scriptura. Nam Apoſtolus 1. ad Corint. 11. ait: *Caput Mulieris Vir:* Et D. Petrus Epiſt. 1. cap. 3: præcipit: vt *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis;* atqui dici nequit, quod B. Virgo, vel hocce præceptum non adimplevit, vel non fuit reverita S. Joſeph tanquam caput ſuum: ergo dicendum eſt illi, vt pote verè Viro ſuo fuiſſe ſubjectam. Item S. Petrus, pro ſubjectione Mulierum ad Viros ſuos ibidem ponit exemplum Saræ dicens: *Mulieres ſubjectæ proprijs Viris: ſicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans.* Ex quibus ſic: Sara juxta Patres, & Interpretes fuit Typus B. Virginis, nam hæc peperit meliorem Iſaac, qui tulit in hume-

ris ſuis lignum Crucis ad Mõtem Moriæ, vt pro nobis immolaretur; atqui Sara vocabat *Dominum* Virum ſuum, eique ſubjiciebatur, & obediebat: ergo idem fatendum eſt, feciſſe, meliorem Saram cum Sanctiſſimo Joſeph Viro ſuo.

Jure igitur Gerſon vbi ſup. miratus ſublimitatem S. Joſeph, ſic exclamat: *O miranda prorſus Joſeph ſublimitas tua! O dignitas incomparabilis, vt Mater Dei, Regina Cœli, & Domina mundi, appellare te Dominum, non indignum putaverit!* Probatur itidem ratione concluſio: Beata Virgo fuit ſimillima Filio ſuo in donis Gratiæ, & virtutum; atqui virtus obedientiæ, & ſubjectionis ad ſuum Patrem putativum maximè enituit in Jeſu: ergo dicendum eſt quod pariter eluxerit in Maria. Dixi autem in concluſione, fuiſſe ſubjectam *aliquomodo*, quia ſolum talis fuit in ordine ad domeſticam gubernationem, & in rebus externis; non vero in ordine ad ea, quæ ſpectabant ad ſuſcipiẽda privilegia Gratiæ, & ad myſteriorum Dei agnitionem.

Hoc autem pulchrè D. Thomas expreſſit 3. p. q. 30. art. 2. ad 2. per hæc verba: *In his, quæ pertinent ad myſteriorum Dei cognitionem, & ad privilegia Gratiæ ſuſcipienda, non debuit Virgo pendere à Viro, nec ſub eius eſſe poteſtate; at vero in externis, & domeſticis rebus potuit ſuo modo eſſe ſubjecta Viro: ad illum enim familiæ gubernatio pertinebat. Inde quando aliquid huiuſmodi agendum erat, ex divino Inſtinctu illi fiebat revelatio, vt patet de fuga in Ægyptum, & de reditu ex Ægypto. Vnde etiã impoſitio Nominis Jeſu illi injuncta*

eſt

eſt: vocabis nomen eius Jeſum. Hucuſque S. Thomas: ego autem nequeo non referre in laudem ſubjectionis Chriſti Domini ad S. Joſeph, & in huius honorem, elegans Epygramma, quod ſupreſſo Authoris nomine affert P. Morales lib. 3. tract. 8. n. 39. in fine, & eſt huius modi.

Chriſte tuum decus, & Joſeph ſi gloria vtrinque
Certent, me, Joſeph, Judice, Victor eris.
Cuncta Deo parent, Joſeph tua gloria creſcit.
Creſcit honos; paret nam Deus ipſe tibi.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum contra primam concluſionem: Si Chriſtus Dominus habuiſſet ſubjectionem ad S. Joſeph, poſſet admitti iſta locutio: *Chriſtus eſt ſubditus, aut ſubjectus Joſeph*; atqui iſta locutio non poteſt admitti: ergo Chriſtus non habuit ſubjectionem ad S. Joſeph. Probatur minor: magis dependet Chriſtus à ſe ipſo, & à Verbo, quam à S. Joſeph; atqui non poteſt admitti iſta locutio, *Chriſtus eſt ſubditus, vel ſubjectus ſibi*, neque item iſta: *Chriſtus ſubjicitur verbo*: ergo neque iſta: *Chriſtus eſt ſubditus, aut ſubjectus Joſeph*. Ex dictis in quæſtione præmiſſo ſecundo, & tertio, quæ nunc relegenda ſunt, ad argumentum, diſtinguo maiorem: poſſet admitti iſta locutio, *Chriſtus eſt ſubditus*, &c. cum addito, ſeu ſubintellecto; *vt homo*, concedo; *vt Deus*, nego, & ſub eiſdem terminis, diſtinguitur minor.

Ad

Ad cuius probationem, diſtinguo primam minoris partem : non poteſt admitti iſta locutio : *Chriſtus eſt ſubditus, vel ſubjectus ſibi* , cum hoc addito, Chriſtus, *vt homo* eſt ſubjectus ſibi *vt Deo*, nego; abſolutè, ſeu abſque addito, concedo : etenim licet ea propoſitio cum dicto addito vera ſit; ſine eo tamen, ſeu abſolutè prolata, videtur ſonare diſtinctionem ſuppoſitorum, cum nemo ſubjici ſibi dicatur, ideoque ita non eſt admittenda. Secundam autem partem minoris concedo, quia vt bene ait Cardinalis de Lugo de Incarn. diſp. 28. ſec. 1. in fine, per eam propoſitionem nullo modo indicatur identitas ſuppoſiti, nec temperatur diſtinctio, ſicut videtur temperari per relativum reciprocum, quando dicitur, *ſubjectus eſt ſibi* : & propter hanc diſparitatem, nego conſequentiam.

Argumentum ſecundum : S. Damaſcenus lib. 4. de fide Cap. 19. de Chriſto dicit : ipſum nec *vt hominem* à Patre vnquam deſertum eſſe, nec peccatum, nec maledictum factum, nec Patri ſubjici neceſſe habuiſſe : Tum ſic : Chriſtus adhuc *vt homo* nõ habuit neceſſe Patri Æterno, & naturali ſubjici: ergo multo minus Patri putativo,ac per conſequens non fuit ſubjectus S. Joſeph. Nota pro ſolutione : quod cùm S. Domaſc. ibi, eorum, quæ dicit reddat hâc rationem: *Quia Chriſtus nunquam contumax fuit*, non loquitur de quavis ſubjectione, ſed tantum de ea, quam ſuperior poteſtate, & coactione, ſeu imperio ſibi à ſubditis prius reſiſtentibus obtinet : atque hanc etiam ſubjectionis diſtinctionem affert S. Nazian-

zianzenus oratione 36, quæ eſt quarta de Theologia poſt numerum 14. Hinc in forma, diſtinguo antecedens: non habuit neceſſe Patri ſubjici, ſubjectione obtenta poteſtate, & coactione ſupponente contumaciam ſubditi, concedo; ſubjectione filiali, & ingenua, nego, & eodem modo diſtinguitur conſequens.

Argumentum tertium: omnis ſubjectio arguit inferioritatem, nam ſubjectus eſt, qui eſt in loco inferiori, ſeu qui ſub alio jacet; atqui Chriſto repugnat inferioritas reſpectu puræ creaturæ, qualis eſt S. Joſeph; imo reſpectu Dei nequit dici, quod eſt in loco inferiori, ſeu ſub illo jacet, nam hoc ſonat negationem æqualitatis cum Deo: ergo Chriſto reſpectu S. Joſeph repugnat ſubjectio. Nota: quod cum ſubjectio dicat aliquid *poſitivum*, vi cuius vnum dicitur alteri ſubjici; idem ſubjectum poteſt dici ſuperius, & inferius in ordine ad diverſa munera. Sic, qui eſſet in duplici loco, alio ſuperiori, & alio inferiori, ratione diverſarum vbicationum, rectè diceretur, ratione earum ſuperior, & inferior. Hinc in forma ad argumentum conceſſa maiore, diſtinguo minorem: Chriſto repugnat inferioritas reſpectu S. Joſeph in ordine ad munera obedientiæ Patri præſtanda, nego; in ordine ad alia, concedo: & diſtinguo probationem incluſam: reſpectu Dei nequit dici, quod eſt in loco inferiori, ſecundum divinitatem, concedo; ſecundum humanitatem, nego: ſic enim in Symbolo S. Athanaſij, dicitur, Chriſtus, *Minor Patre ſecundum humanitatem*, cum tamen

hoc verbum *Minor*, potius quam hoc *inferior* negationem æqualitatis, iuxta Theologos, ſignificet.

Argumentum quartum contra ſecundam concluſionem: S. Aug. opuſculo de Aſſumptione Virginis Cap. 4. inquit, B. Virginem fuiſſe exemptam ab illa lege: *ſub Viri poteſtate eris*; atqui ſi B. Virgo fuiſſet ſubjecta S. Joſeph, eſſet ratione illius legis, quæ eadem eſt cum allatis ad probationem concluſionis: ergo nullo modo fuit ſubjecta S. Joſeph. Nota: quod S. Aug. ibi ſe ſtatim explicuit, dicens: *Non fuiſſe ſub poteſtate Viri*; id eſt, *Mariti, qua integerrimis viſceribus ab Spiritu Sancto Chriſtum ſucepit*. Ac ſi diceret (ait Eximius Doctor ſup. ad hoc argumentum) quantum ad vſum carnalis copulæ non fuiſſe ſub Viri poteſtate. Hinc cum eodem Eximio, diſtinguo maiorem: S. Aug. inquit, B. Virginem, fuiſſe exemptam ab illa lege, *ſub Viri poteſtate eris*, in ordine ad vſum carnalis copulæ concedo; in ordine ad domeſticam gubernationem, & in externis, nego. Vide, quæ dicimus §. penult. ſectionis in fine.

SECTIO II.

AN OMNIS CREATURA SUBJICI debeat, & re ipſa ſubjecta ſit S. Joſeph?

PRæmittendum eſt: quod imperium, & dominium, vel eſt *radicale*, & in *actu primo*, conſiſtitque in poteſtate imperandi, & gubernandi: vel eſt *in actu ſecundo*, ſeu quo *ad exercitium*, & *vſum*, ſtatque in actu exercendi munus imperandi: Et primi generis imperium, & dominium circa res omnes temporales, non autem ſecundi, habuit Chriſtus in hoc mundo: Ideo enim cuidam petenti, Lucæ 12: *Magiſter dic Fratri meo vt dividat mecum hæreditatem*, Reſpondit omnium Dominus: *Homo quis me conſtituit Judicem, aut diviſorem inter Vos?* Videlicet quoad vſum, & exercitium, non autem quoad radicalem poteſtatem. Igitur in eodem ſenſu, & cum debita proportione locuturi ſumus de S. Joſeph in hac quæſtione, quoties illum omnium creaturarum Regem, & Gubernatorem appellaverimus. Hoc ſuppoſito ſit.

Noſtra concluſio: omnis creatura ſubjici debet, & de facto ſubjecta eſt S. Joſeph. Probatur concluſio ex Scriptura: nam Geneſis 18. v. 40, & 41. *Dixit Pharao ad Joſeph* (qui fuit Typus S. Joſeph juxta Patres) *ad tui oris imperium cunctus populus obediet: Ecce conſtitui te ſuper omnem terram Ægypti.* Ex qui-

quibus ſic arguo: Nequit dici, quod Pharao fuit liberalior cum figura S. Joſeph, quam Chriſtus Dominus cum ipſo S. Joſeph figurato, & Patre putativo ſuo; atqui Pharao ſubjecit Joſeph Patriarchæ, qui fuit figura S. Joſeph, omnem terram Ægypti, totum ſcilicet Regnum ſuum, vt eius obediret imperio: ergo Chriſtus Dominus, ne minus liberalis eſſet, ſubjecit S. Joſeph, figurato per Joſeph Patriarcham, omnem vniverſi creaturam, ac per conſequens, ea omnis ſubjecta eſt S. Joſeph. Vlterius: Chriſto Domino, vt ipſe ait Matth. 28. v. 18. *data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*; atqui Joſeph data eſt poteſtas ſupra Chriſtum Dominum, *nam hic erat ſubditus illi*: ergo S. Joſeph (licet in gradu inferiori) data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, ſeu ſupra omnem creaturam cœleſtem, & terreſtrem: ergo omnis creatura ſubjici debet, & re ipſa ſubjecta eſt S. Joſeph.

Accedit ad hæc authoritas Gerſonis ſerm. de Nativit. Mariæ, & Buſtos in Mariali, 4. p. ſerm. 12, quorum hæc eſt pulcherrima ratiotinatio: *Tenendum igitur eſt, quod in toto Mundo non fuit Vir, ita ſufficiens ad tam dignum Opus ſicut B. Joſeph: Fuiſſet enim ſufficiens abſque dubio ad totius Mundi regimen: quia qui fuit ſufficiens ad maius, & ita maius, multo magis eſſet ad minus, iuxta vtriuſque juris regulam, in leg, non debet ff. de reg. Jur: & in cap. cuilibet de reg. Juris in 6; ſed B. Joſeph fuit á Deo electus, & inventus idoneus ad regimen. Filij ſui, qui in infinitum eſt excellentior, & maior toto Mundo, & ad gubernationem*

Spon-

Sponſæ divinæ, quæ eſt dignior vniverſo orbe: ergo multo magis credendus eſt, fuiſſe ſufficiens ad regendum totum mundum. Et vide quam advertenter, & propriè dictum eſt *fuiſſe ſufficiens*, vt denotetur dominium, & gubernationem totius mundi conceſſam S. Joſeph, fuiſſe *in actu primo*; non autem *in actu ſecundo*, ſeu quoad *exercitium, & vſum*, iuxta dicta in præmiſſo ad hanc quæſtionem.

Probatur jam ratione concluſio: Chriſto Domino, vt pote *Regi Regum, & Domino Dominantium* iuxta 19. Apoc. obedit omnis creatura: ipſe Chriſtus Virgini, vt Matri, obediebat; Virgo autem Joſepho, vt Sponſo, & capiti ſuo: ergo totus orbis obedit, & ſubjectus eſt S. Joſeph. Atque hic eſt pulcher diſcurſus, quem Plutarchus in Apopthegmis, feciſſe refert Themiſtoclem, Regem Græciæ, qui dicere ſolebat: *Filius meus Diophanes totum regnum meum gubernat, & ſuper omnes imperium habet: quia ille præcipit Vxori meæ, Matri ſuæ, Vxor autem mihi Regi præcipit, & Ego in toto Græciæ Regno imperium exerceo: ergo Filius puer totius Regni mei eſt ſuperior, & Imperator*: Sic igitur Chriſto obedit, & ſubjecta eſt omnis creatura, Chriſtus Virgini, Virgo Joſeph: ergo Joſeph ſubjecta eſt omnis creatura.

Vlterius: B. Virgo eſt Regina totius vniverſi: ergo S. Joſeph eſt Rex totius vniverſi; ſed eo ipſo totus univerſus, qui omnem creaturam complectitur, ſubjici debet S. Joſeph: ergo ei debet ſubjici omnis creatura. Probatur prima conſequentia, nam cætera patent: Sponſus Reginæ, cuius eſt proprium ali-

aliquod Regnum, eſt Rex illius Regni; atqui S. Joſeph eſt Sponſus Reginæ totius vniverſi: ergo eſt Rex totius vniverſi. Probatur maior: apud omnes Nationes Sponſus Reginæ, Rex eſt, quia in talibus Perſonis habentibus dominium abſolutum, Maritus ſequitur conditionem Mulieris ſuæ, vti ait Baldus, in cap. *ſignificavit* de Reſcriptis, & tenent alij plures apud Tiraquellum de Nobilitate cap. 18: ergo Sponſus Reginæ, cuius eſt proprium aliquod Regnum, eſt Rex illius Regni.

Sed contra argues primo: Si in S. Joſeph eſt poteſtas ſupra omnem creaturam in Cœlo, & in terra, prius fuit hæc poteſtas in S. Joſeph, quam in Chriſto; atqui hoc non eſt dicendum, nam Chriſtus *eſt Princeps*, ſeu Primus, *Regum terræ*. Apoc. 1. v. 5: ergo in S. Joſeph non eſt talis poteſtas. Probatur maior: ſi in S. Joſeph fuit talis poteſtas, fuit ex quo in deſponſatione cum B. Virgine, fuit conſtitutus Sponſus illius, Nutritiusque, & putativus Pater Chriſti Domini; ſed in Chriſto non fuit talis poteſtas, niſi poſt mortem; poſt illam enim dixit Apoſtolis, Matth. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas iu Cælo, & in terra*, & in hoc ſenſu videtur Paulus dixiſſe ad Rom. 14. *In hoc mortuus eſt, & reſurrexit vt vivorum, & mortuorum dominetur*: ergo prius fuit ea poteſtas in S. Joſeph, quam in Chriſto.

Præmitto ad ſolutionem primo: quod Chriſtus Dominus ab initio ſuæ Conceptionis accepit eam poteſtatem, tum enim quando primo à Patre introductus fuit in orbem terrarum dictum eſt:

Ado-

Adorent eum omnes Angeli eius, vt Regem, & Principem ſuum, ac per conſequens etiam hominum, & reliquarum creaturarum. Dicitur autem eam poteſtatem accepiſſe poſt mortem, non quidem, *quoad Jus*, ſed *quoad vſum, & exercitium*, vti explicat P. Cornelius, ad eum locum Apoſtoli, quem arguens citat; ex tunc enim, ſcilicet poſt reſurrectionem, exaltatum eſt nomen eius, acceptatum imperium, receptæque leges, atque ideo tunc dicitur poteſtatem accepiſſe. Ad modum quo in oratione Dominica dicimus Deo, *Adveniat Regnum tuum*, quod intelligi nequit de Regno Dei *quoad Jus*, ſed *quoad vſum*, nimirum vt Deus per noſtram obedientiam, divinæque legis obſervantiam *actu* regnet in nobis, qui *quoad Jus*, ſemper regnat.

Præmitto ſecundo: quod licet in acceptione poteſtatis Dominativæ concedatur in S. Joſeph aliqua prioritas; hæc non erit *in intentione, & dignitate*, ſed præcisè *in executione*: quod quidem non derogat principalitati, & excellentiæ dominij Chriſti: ſicut, quod media, priora ſint fine *in executione* non tollit, quod finis nobilior ſit medijs, reſpectu quorum eſt *in intentione* prior. Hinc ad argumentum in forma, diſtinguo maiorem: prius *in intentione, & dignitate*, ſeu *principalitate*, fuit in S. Joſeph, nego; prius *in executione*, concedo, & in hoc ſenſu, nego minorem. Ad maioris probationem, vel nego minorem, iuxta primum præmiſſum; vel eam diſtinguo: in Chriſto non fuit talis poteſtas, niſi poſt mortem, *quoad Jus*,

nego; *quoad vſum, & exercitium*, concedo: & textus iuxta primum præmiſſum explicatur.

Argues ſecundo: B. Virgo eſt Regina, & Domina totius vniverſi: ergo S. Joſeph non eſt Rex; & Dominus totius vniverſi. Probatur conſequentia: ſi eſſet, daretur eiuſdem rei, in eodem inſtanti dominium in ſolidum penes duos; atqui hoc nequit dari, vt deciditur in leg. *ſi vt certo.* § *ſi duobus ff. commodati, vel contra*; nam Dominus à nemine poteſt impediri, quo minus vtatur re ſua; poſſet autem ab altero Domino, ſi vterque foret Dominus in ſolidum: ergo ex eo, quod B. Virgo ſit Regina, & Domina totius vniverſi, potius infertur, S. Joſeph, non eſſe talem, quam eſſe, contra probationem concluſionis. Ad argumentum, nego conſequentiam, & diſtinguo maiorem probationis: daretur dominium in ſolidum penes duos, quorum vnus ſubordinetur alteri, concedo; abſque ea ſubordinatione, nego. Etenim, quod duo ſint Reges eiuſdem Regni, cum ſubordinatione vnius ad alium, non eſt inconveniens, cum nulla poſſit oppoſitio ſuboriri: ſic autem quoad Jus regnandi, erat S. Joſeph ſubordinatus Chriſto, & Mariæ. Et dico *quoad Jus Regnandi*, quia S. Joſeph non habuit dominium *proprietatis* rerum ſingularum, quæ ad alios pertinebant.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE SANCTITATE B. JOSEPH.

POSTQVAM EA OMNIA, QVÆ DE ALtiſsima dignitate S. Joſeph Scholaſtica methodo diſputari poſſunt adamuſsin excuſſerimus; ſequitur de Sanctiſsimæ illius Animæ ſupernis dotibus diſſertationem attexere. Ex eo enim, quod illum in Patrem Putativum Vnigeniti Filij ſui, cui iſte ſubjiceretur, & obtemperaret, Sponſumque Sereniſsimæ Reginæ Cœlorum evexerit Deus, ortum traxit mare Gratiarum, quod in Sanctum Joſeph perenne confluxit.

Sit ergo.

SECTIO I.

VTRUM S. JOSEPH FUERIT SANctificatus in vtero Matris, & in Gratia confirmatus?

HÆC eſt controverſia percelebris, cuius in Gloriam S. Joſeph piam deciſſionem Graviſſimi Doctores iam iam referendi excogitavere. Igitur pro reſolutione illius, præmitto primo ex P. Valentia tom. 2. diſp. 6. q. 11. de pecc. origin. puncto 2: certum eſſe de fide, omnes omnino homines, excepta tantum B. Virgine, maculam originalem contraxiſſe, & de facto contrahere. Ratio eſt,

quia Apoſtolus ad Rom. 5, generaliter dicit: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; ita & in omnes homines mors pertrãſijt, in quo omnes peccaverunt.* Et Triden. ſeſſ. 5. declarans: *Non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur. B. & Immaculatam Virginem Mariam*, ea tantum excepta, ſatis oſtendit, ſe omnes alios comprehendere. Ideoque nec admitti, nec defendi poteſt, ſententia cuiuſdam Authoris, cuius ſupreſſo nomine, verba affert Bernardinus de Buſt is in Mariali 4. p. ſem. 12, tenentis. S. Joſeph fuiſſe ab originali, antequam caderet, præſervatum.

Præmitto ſecundo: quod in eis rebus, de quibus nihil habetur certum, aut ex Scriptura, aut ex determinatione, vel traditione Eccleſiæ, aut ex communi ſenſu Patrum, & Theologorum, dummodo pietati conſonum ſit, nec bonis moribus obſiſtat, ſervanda eſt regula S. Aug. lib. 3. de liber. Arb. cap. 5. tradita, *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id ſcias, feciſſe Deum;* tenendumque id, quod eſt veroſimile magis iuxta regulas vtriuſque juris, in leg. *in obſcuris* ff de reg. jur. & in cap. *Inſpicimus* de reg. jur. in 6, ibi: *In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt.* Atque huic etiam aſſerto conſonat, celebris ſententia D. Anſelmi lib. 1. *cur Deus homo*, cap. 15. dicentis: *In illis rebus, de quibus diverſa, ſine periculo ſentiri poſſunt, nullum puto Animæ periculum, ſi ſic exponimus divina dicta, vt diverſis ſententijs favere videamur, neque arbitror reprehendi debere.* Hoc autem præmiſſum pro alijs pijs opinionibus

bus huius tractatus admiſſis à nobis poterit deſervire.

Præmitto tertio: quod confirmatio in Gratia conſtitutivè ſtat in decreto efficaci Dei de conferendo ſemper auxilia efficacia, præviſa per Scientiam Mediam ad vitandum omne lætale peccatum. Etenim quando Deus prævidens ſe habere in ſua manu pro aliquo homine plura auxilia efficacia,& inefficacia plura ex ſpeciali affectu erga illum, efficaciter,& reſolutè decernit ſemper efficacia cõferre,tunc eum in Gratia confirmat: Atque ita factum eſt à Spiritu Sancto cum SS. Apoſtolis in die Pentecoſtes. Quarto: quod vti Abulenſis cum pluribus Theologis q. 17.in cap. 13.Judic.ſentit,Sanctificationem in vtero conſequitur confirmatio in Gratia; atque ita accidit in S. Joanne Baptiſta, qui in vtero Matris Sanctificatus fuit, & in Gratia confirmatus, ita vt nunquam lætaliter peccaverit;imo nec venialiter iuxta aliquos poſtea afferendos. His ita conſtitutis ſit.

Prima concluſio: S. Joſeph, licet fuerit conceptus in peccato originali; tamen ab eo liberatus eſt, & Sanctificatus in vtero Matris; Vnde fuit Sanctus, antequam natus. Pro hac ſanè pia concluſione P. D. Petrus Morales huius Mexicanæ Provinciæ Scriptor Egregius lib. 3. tract. 2. n. 3. citat, Viginti Authores, inter eoſque ex noſtra Societate PP. Caniſſium lib. 2. de Virg. cap. 13. Salmeron tom. 3. de infantia Salvatoris, tract. 30, & 31. Barradas lib. 6. concord. cap. 8, & Offorium in conci. de S. Joſeph, quibus noviter acceſſit vnus pro mille

Sa-

Sapientiſſimus æquè, ac pijſſimus P. Paulus Señeri, tom. 2. Quadrag. ſem. de S. Joſeph. n. 2. Hi tamen Doctores non declarant, in quo ex novem menſibus ea Sanctificatio contigerit;neque id declarari poteſt, niſi per meram divinationem, qualiter faciunt, qui dicunt id ſeptimo menſe accidiſſe; quibus ſi velis accedere, accede.

Probatur igitur noſtra concluſio ex Scriptura: nam Matth. 1. dicitur, *Mater Jeſu Maria Joſeph*, vbi tres Sacratiſſimas Perſonas Evangeliſta conjungit, & inſinuat iuxta graves Authores conjunctionem earum ſicut in nominatione, ita in donis Gratiæ, nimirum debito ordine ſuperioritatis, & inferioritatis. Tum ſic: in ordine Gratiæ primus eſt *Jeſus*, ſecunda *Maria*, tertius *Joſeph*, & hic iſto ordine communicat cum illis in donis Gratiæ; atqui Chriſtus Dominus in Gratia liberationis à peccato originali, ita ſe habuit, vt neque illud contraxerit, neque contrahere potuerit, & quia eſt Deus, & ex vi ſuæ generationis à Matre Virgine: Ita autem B. Virgo, vt non contraxerit originale, potuerit tamen contrahere, vt pote Filia Adæ, ab eo per naturalem generationem deſcendens: ergo S. Joſeph vt in tertio ordine, & inferiori gradu liberationis ab originali communicaret cum illis, & potuit contrahere, & de facto illud contraxit; fuit tamen ab eo liberatus, & Sanctificatus in vtero Matris ſuæ.

Vlterius: De Joſeph Patriarcha, qui Typus fuit S. Joſeph, ac per conſequens de hoc verificari debent, quæ de illo, vt notum eſt omnibus, dicitur Ge-

Geneſis 49: *Deus Patris tui benedicat tibi benedictionibus vberum, & vulva*: Quæ verba cap. 12. in Gene. Sic S. Iſidorus interpretatur: *Benedictionibus vberum Mariæ, quæ verè benedicta erat: quia eadem Sancta Virgo de ſe Domino potum Lactis immulſit; vnde illa Mulier in Evangelio ait, Beatus venter, qui te portavit, & vbera, quæ ſuxiſti: & etiam hic benedicitur vulva eiuſdem Matris, illa vtique virginalis, quæ nobis Chriſtum edidit.* Ex quibus ſic arguo: S. Joſeph in Patriarcha Joſeph figuratus debuit participare de *benedictionibus vberum, & vulvæ Mariæ*, ſed vna ex illis benedictionibus fuit liberatio ab originali: ergo debuit participare de hac benedictione; atqui non in gradu præſervationis in ipſo conceptionis inſtanti, iuxta dicta in præmiſſo primo: ergo ſaltem in gradu liberationis in vtero Matris ante nativitatem, ita vt ſicut Maria, ante fuerit Sanctus quam Natus; ly *ſicut* proportione debita.

Probatur iam concluſio ratione: Inter Conjuges quæritur maior ſimilitudo tam in nobilitate, quam in moribus: ergo S. Joſeph inter omnes puros homines fuit ſimilior Mariæ, dicēte Gerſo. ſerm. de Nativ. Virg. *Beatus Joſeph fuit ſuper omnes homines puros ſimilis Virgini Glorioſæ*; atqui non eſſet ita ſimilior, ſi non fuiſſet Sanctificatus in Vtero Matris: ſimiliores enim eſſent SS. Prophetæ Joannes Baptiſta, & Hieremias vt patet: ergo fuit Sanctificatus in vtero Matris. Vlterius: S. Hieremias cap. 1. ibi. *antequam exires de vulva Sanctificavi te*, Sanctificatus fuit in vtero Matris, quia prædicturus erat Chriſtum

ſtum abſentem; S. autem Jonnes Baptiſta Luc. 1. ibi: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero Matris ſuæ*, ideo in eo Sanctificatus fuit, quia digito,& voce Chriſtum erat præſentem deſignaturus; ſed magis quam prædicere abſentem, & præſentem deſignare, eſt portare inter brachia, ferre ſæpiſſimè in manibus Chriſtum, nutrireque, ac cuſtodire,& Patrem illius eſſe, vti eſt evidens: ergo S. Joſeph, qui talia munera obivit,fuit in vtero Matris Sanctificatus,& Sanctus antequam natus.

Secunda concluſio cum P. Señeri loco ſup. cit. n. 4, & omnibus alijs Patronis primæ concluſionis propter dicta præmiſſo quarto: S. Joſeph fuit confirmatus in Gratia,ita vt nunquam mortaliter peccaverit. Probatur concluſio: confirmatio in Gratia ſtat in decreto Dei conferendi ſemper auxilia efficacia ad vitandum omne lætale; ſed Deus habuit tale decretum erga S.Joſeph: ergo S. Joſeph fuit confirmatus in Gratia.Probatur minor:Deũ decuit habere erga S. Joſeph tale decretum:ergo habuit,quia iuxta S. Damaſc.diſſ.2. ſec. 4. allatum Deus ſemper facit, quod eſt decentiſſimum ſibi. Probatur antecedens: Deum dedecens videtur, quod permitteret,vt Pater ſuus, licet putativus, aliquando per peccatum mortale eſſet mancipium Diaboli, & ipſius Dei Inimicus: ergo è contra decuit Deum habere erga S. Joſeph Patrem ſuum decretum nunquam permittendi lætale peccatum, ſeu ſemper ad hoc conferendi auxilia previſa efficacia. Antecedens patet à paritate B. Virginis, cuius immunitatem a b omni culpa, ex

hoc

hoc capite Theologi ſtabiliunt. Et licet inrer Mariam, & Joſeph detur magna diſparitas: ea tamen bene ſalvatur ex eo, quod B. Virgo, quia eſt vera Mater Dei, non ſolum à peccato actuali, verum etiam ab originali, & eius debito proximo fuerit à primo conceptionis inſtanti præſervata.

Vlterius: Maria, & Joſeph in puritate Animæ æquiparantur à Theologis; pro quibus omnibus ſufficiat vnus, & ſatis gravis, Joannes Gerſon. ſerm. de Nativit. Mariæ conſid. 1. inquiens *Sicut decuit, vt Maria tanta puritate niteret, qua ſub Deo maior nequit intelligi, vt S. ait Anſelmus: Ita decuit, vt Joſeph tanta prærogativa polleret, quæ ſimilitudinem, & convenientiam exprimeret talis Sponſi ad talem Sponſam.* Tum ſic argumentor: Maximè conveniens fuit Deo, vt Maria, quia erat futura vera Mater Vnigeniti ſui, præſervaretur ab omni peccato etiam originali: ergo maximè conveniens fuit Deo, vt Joſeph, licet originale contraheret, quia non erat futurus Pater verus vnigeniti ſui, ſed putativus, præſervaretur ab omni peccato actuali mortali; atqui talis præſervatio fit per decretum conferendi ſemper auxilia efficacia ad peccatum vitãdum, ſeu per confirmationem in Gratia: ergo Deus erga S. Joſeph concepit tale decretum, & fuit ille in Gratia confirmatus: ne Deus negaret Patri ſuo, quod miniſtris, nimirum Apoſtolis, conceſſit.

ZAR-

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum contra primam concluſionem: A regula generali nativitatis in peccato, ſolum inveniuntur excepti SS. Joannes Baptiſta, & Hieremias; ſed eo ipſo ea regula generalis includit S. Joſeph: ergo ille natus eſt in peccato, ac pro inde non Sanctificatus in vtero. Præmitto ad ſolutionem primo: quod licet *exceptio firmet regulam in contrarium*, vti eſt commune Juriſtarum axioma: hoc non intelligitur de caſibus, qui ſimiles ſunt exceptis: nam in eis quamvis *explicitè, & ſpecificè* non reperiantur à jure excepti, exceptio non firmat regulam in contrarium: quia potius ab ea propter identitatem rationis excipiuntur, vt habetur in cap. *Cum dilecta* de confirm. vtili, vel inutil; & ibi Abbas, Gloſſaque in leg. 1. cod. de condict. indeb. v. *Iudicare*, alibique. Quoniam vbi eadem eſt ratio, idem jus eſt ſtatuendum, vt in leg *illud* ff. ad leg. Aquil. quæ rationis paritas, proportio, vel ſimilitudo præcipuè in correlativis invenitur, vt in leg. *Julianus §. ſi Procurator* ff. de action. empti.

Præmitto ſecundo: quod in S. Joſeph non ſolum invenitur ſimilis ratio, ac in SS. Joanne, & Hieremia, exceptionis ab ea regula; verum etiam maior, propter maiorem propinquitatem ad Jeſum, & Mariam, duo Gratiæ principia, & propter altiora munera, ad quæ prædeſtinatus eſt, vt toties ponderavimus: Inde ſi vti diximus, vbi eadem eſt ratio, idem jus eſt ſtatuendum, multo magis vbi maior ra-

tio fuerit, vt in leg. final cod. *Qui ætate ſe excuſſent*, & in cap. *cum in cunctis* de electione. Hinc ad argumentum in forma diſtinguo maiorem: à regula generali ſolum inveniuntur *ſpecificè*, & *explicitè excepti* SS. Ioannes, & Hieremias, concedo; ſolum *implicitè*, nego, & minorem cum conſequentia, propter dicta in præmiſſis: & etiam quia alij plures excipiuntur à gravibus Authoribus ab hac regula, vt S. Jacobus, Frater Domini, S. Nicolaus. S. Dominicus, Jacob Patriarcha, Moyſes, & Sampſon, vt videri eſt in P. Cornelio ſup. 1. Matth. verſu 16.

Argumentum ſecundum: S. Dionyſius de Div. Nomin. cap. 4. inquit: *Non eſt audendum aliquid dicere, aut cogitare de illa ſuperſubſtantiali Deitate; neque de His, quæ ab eius mera dependent voluntate, præter ea, quæ fuerunt nobis expreſſa ex divinis eloquijs.* Subſumo: atqui Sanctificatio S. Joſeph in vtero Matris, & eſt quid pendens à mera Dei voluntate, & non eſt nobis expreſſa ex divinis eloquijs: ergo non eſt audendum, illam defendere, neque cogitare. Præmitto ad ſolutionem: quod ſi regula S. Dionyſij abſque vlla diſtinctione foret obſervanda, plures quæſtiones communes in Theologia ruerent, quippè quæ ſunt de rebus ex mera Dei voluntate pendentibus, nec exprimuntur in ſacris literis, ſed ex eis tantum probabiliter deducuntur.

Inde dicendum eſt, S. Dionyſium tantum loqui de illis rebus, quæ proponuntur, vt certa fide tenendæ: ille enim debent vel eſſe expreſſæ in Scriptura, vel ab Eccleſia declaratæ: non autem de illis, quæ

licet in Scriptura non declarentur, probabilibus tamen rationibus perſuaderi poſſunt, & piè credi. Nos autem non dicimus, Sanctificationem B. Joſeph habendam eſſe pro de fide, aut ita certam, vt ſecurè negari nequeat; ſed eſſe tantum de numero opinabilium, & piè credendorum. Atque hoc etiam in ſenſu poteſt explicari D. Eximius, quando tom. 2. in 3. p. q. 27. art. 2. diſp. 8. ſec. 2. agens de Sanctificatione B. Joſeph, inquit: *Hæc, & ſimilia, quæ ſunt præter generales Canones Scripturæ, non ſunt ſine convincenti ratione, & magna authoritate Eccleſiæ, vel SS Patrum approdanda.* Hinc explicata regula S. Dionyſij modo dicto, diſtinguo minorem ſubſumptam: Sanctificatio S. Joſeph eſt quid pendens à mera Dei voluntate, & non eſt expreſſa ex divinis eloquijs, neque eſt de numero opinabilium, nego, & eſt de eo numero, concedo, & nego conſequentiam.

Argumentum tertium: ſi ratio noſtræ concluſionis ab æquiparatione, & ſimilitudine inter Conjuges tenet, dicendum erit, S. Joſeph fuiſſe ab originali præſervatum; ſed hoc non: ergo non tenet ratio ſimilitudinis. Probatur maior: Deus præſervavit B. Virginem ab originali, vt eſſet digna Mater Dei: ergo etiam dicendum eſt, quod præſervavit B. Joſeph, vt eſſet dignus Sponſus Mariæ, ac pro inde ei ſimilis, & idoneus Pater ipſius Dei, præſertim cum ea præſervatio S. Joſeph nec pugnet cum divina potentia, nec cum aliquo loco ſacræ Scripturæ: aut determinatione Eccleſiæ. Conſequentia videtur conſtare ex Gerſone, qui ad verba à Nobis alla-

ta

ta in 2. probatione 2. concluſionis: hæc addit: *Vnde ſicut Laus Mariæ eſt Laus Chriſti Filij ſui; ita Laus Joſeph in præconium redundat vtriuſque, Jeſu ſcilicet, & Mariæ. Et ſic ex adverſo dicit Sapienſ. Eccleſ. 3. quod dedecus Filij eſt Pater ſine honore: ſimiliter dedecus Sponſæ eſſet Sponſus ſine honore derelictus.*

Vlterius argumento à *Veriſimili*, quod ex Vlpiano Jureconſulto in leg. *cum Avus* ff. de condit. & demonſtr. efficax eſt, ad cuiuſvis diſpoſitionis mentem conjiciendam, ſic inſurgo: ex eo probant inter alia Theologi, præſervationem Virginis ab originali, quod ſi quis poſſet ſibi condere, & eligere Matrem meliorem, & Nobiliorem, hanc eligeret: vnde credendum eſt, ita ſecum feciſſe Verbum Incarnatum: ergo ſi admittenda eſt æquiparatio, dicendus eſt Deus elegiſſe, & condidiſſe Patrem, & Nutritium nobiliorem, qualis erit, ſi præſervetur ab originali, ſicut Mater Dei. His rationibus Auctor innominatus, de quo in primo quæſtionis præmiſſo locuti ſumus, ſuam conatur ſtabilire ſententiam: Pro quarum ſolutione nota: quod inter Mariam, & Joſeph ſolum datur *ſimilitudo*, quæ multas admittit diſparitates; non vero *æqualitas*, quæ nullam admittit, nam eſt *tanti ad tantum*: & Joſeph, qui ſolum eſt Dei Pater putativus, multum diſtat à vera Matre Dei. Hinc in forma, nego maiorem, & conſequentiam probationis; ad cuius probationem incluſam dic: Sanctificationem B. Joſeph, non pugnare cum Dei potentia; pugnare tamen cum Scriptura, & definitione Eccleſiæ, vti præmiſſo citato diximus

Et

Et Gerſon explicandus eſt iuxta notationem. Ad id quod additur, nego conſequentiam, & eſt nota diſparitas; quia Maria eſt vera Mater Dei, & Joſeph Pater putativus.

Argumentum quartum contra ſecundam concluſionem: Non omnis Sanctificatus in vtero Matris eſt confirmatus in gratia: ergo licet S. Joſeph dicatur Sanctificatus in vtero, non ideo dicendus eſt in Gratia confirmatus, contra ſuppoſitionem factam, præmiſſ. 4. quæſtionis. Probatur antecedens: S. Paulus Apoſtolus fuit Sanctificatus in vtero; ſed non fuit confirmatus ex tunc in Gratia, nam poſtea perſecutus eſt Eccleſiam Dei: ergo non omnis, &c. Probatur maior, S. Hieronymus Epiſt. 15. ait: *Sit Gratiæ omne, quod Deus Hieremiam Sãctificet in vtero, & Joannem in alvo Matris faciat exultare, & Paulum ſeparet in Evangelium Fily ſui.* Et P. Cornelius in cap. 1. Epiſt. ad Galat, ſuper ea verba, *me ſegregavit ex vtero Matris meæ*, afferens eam Hieronymi clauſulam, inquit: *Sic de Hieremia, ait Hieronymus dicitur antequam exires de vulva, Sanctificavi te; eo que alludit hic Paulus*, & addit. *Fuit enim Hieremias Typus Pauli; vnde pro Sanctificavi, Sanctificavi, & ſegregavi ſignificat.*

Tum ſic: S. Hyern. loquens de Sanctificatione in vtero comparat Apoſtolum cum SS. Hieremia & Joanne, ita vt *ſegregatio Illius ex vtero* fuerit *Sanctificatio*: ergo S. Paulus Apoſtolus fuit Sanctificatus in vtero. Vlterius: Idem Sapientiſſimus Alapide, ibidem ait: *Paulus ab vtero conſecratus, vt eſ-*

ſet Propheta; atqui Eccleſ. 59. v. 9. non aliter exprimitur Sanctificatio Hieremiæ, quam per conſecrationem in Prophetam, ibi: *Qui in vtero Matris conſecratus eſt Propheta*: ergo ſicut Hieremias Sanctificatus fuit in vtero, ita Paulus. Nota pro ſolutione: quod ex his rationibus Doctiſſimus æquè, ac nobiliſſimus quidem Magiſter, ſacræ Scripturæ Cathedræ in Regia, & Pontificia Mexicana Academia Primarius Moderator, hanc de Sanctificatione Apoſtoli in vtero tenuit ſententiam.

Verum quia nos de aliorum extra S. Joſeph Sanctificatióne non diſputamus, vt argumento ſatisfiat, advertendum eſt, quod quando dicimus, confirmationem in Gratia conſequi Sanctificationem in vtero, non loquimur de conſecutione *infallibiliter* tali propter aliquam metaphiſicam conexionem vnius cum alia; talis enim connexio non eſt ponenda, cum non ſit prædicatum, in quo reluceat, & à quo oriatur tanquam paſſio ipſius; & hoc ad eam ponendam requirebatur, alioqui quilibet pro ſuo nutu poſſet connexiones metaphiſicas in quovis confingere, vt bene notavit P. Izquierdo. Igitur ſolum loquimur de conſecutione *congruenter* tali; quia nimirum congruum eſt, ne Deus aliquem in vtero Sanctificans, permittat aliquando per peccatum deperdi Gratiam adeo privilegiatam. Nũc in forma, diſtinguo antecedens: Nõ omnis Sanctificatus in vtero eſt *infallibiliter* confirmatus in Gratia, concedo; *congruenter*, nego; & ſimiliter, diſtinguo conſequens. Ad antecedentis probationem, omitto maiorem cum tota pro-

ba-

batione illius, & quia de S. Paulo non diſſerimus, & quia nihil in ea contra nos, cum de conſecutione *infallibiliter* tali non loquamur.

Argumentum quintũ: Si S. Joſeph fuit confirmatus in Gratia, fuit impeccabilis; ſed hoc nõ, quia iuxta SS. Patres, omnis creatura rationalis de facto exiſtens eſt peccabilis, ſeu in malum vertibilis: ergo non fuit confirmatus in Gratia. Probatur maior: confirmatus in Gratia non poteſt peccare; ſed qui non poteſt peccare, eſt impeccabilis: ergo ſi S. Joſeph fuit confirmatus in Gratia, fuit impeccabilis. Argumentum multum probat; probat enim contra omnes, neque SS. Apoſtolos fuiſſe confirmatos in Gratia, neque vllum alium hominem poſſe confirmari. Deinde pro ſolutione præmitto: quod omnis pura creatura rationalis ex de facto exiſtentibus eſt *remotè*, & ab *intrinſeco* peccabilis; habet enim liberum arbitrium in vtramque contradictionis partem vertibile; cum quo bene ſtat, quod aliqua ſit impeccabilis *ab extrinſeco*, ratione videlicet decreti Dei de nunquam conferendo auxilium inefficax; & ſic fuit impeccabilis mortaliter S. Joſeph. Hinc in forma, diſtinguo maiorem: fuit impeccabilis *ab intrinſeco*, nego; *ab extrinſeco*, concedo: & minorem in hoc ſenſu nego, cuius probationem diſtinguo: omnis creatura eſt peccabilis *remotè, & ab intrinſeco*, concedo; *ab extrinſeco* etiam, nego: & eiſdem terminis explicatur maior, & minor probationis maioris. Et nota: advertenter fuiſſe poſitum ly *ex de facto exiſtentibus*, nam iuxta graviſſimos Theologos in tract.

de viſ. & Ang: poſſibilis eſt creatura rationalis natura ſua impeccabilis.

Argumentum ſextum: Si S. Joſeph fuit confirmatus in Gratia; non fuit liber in obſervatione præceptorum; ſed fuit liber in obſervatione præceptorum: ergo non fuit confirmatus in Gratia. Probatur maior: ſi fuit confirmatus in Gratia non potuit non obſervare præcepta; ſed ſi non potuit non obſervare præcepta, non fuit liber in obſervatione præceptorum: ergo non fuit liber. Probatur maior: confirmatus in Gratia non poteſt Gratiam amittere, hoc enim eſt, eſſe in ea confirmatum; ſed non obſervare præcepta, eſt, amittere Gratiã, quia eſt graviter peccare: ergo ſi S. Joſeph fuit confirmatus in Gratia, non potuit non obſervare præcepta. Præmitto ad ſolutionem: quod *impotentia* ad aliquid in agente libero duplex eſſe poteſt: alia nimirum *antecedens*, & alia *conſequens*. Antecedens eſt illa, quæ provenit â principio antedenti, connexo, & inmpedibili, qualis eſt Prædeterminatio Thomiſtica determinans V. G. ad amorem, & reddens potentiam liberam impotentem ad omiſſionem illius.

Conſequens vero illa eſt, quæ à libera determinatione ipſius agentis provenit, & ad eam conſequitur; poſita enim libera determinatione ad amorem, cum iam neceſſaria ſit, *nam quidquid eſt, eo quod eſt neceſſario eſt*, redditur agens ad omiſſionem illius impotens; verum cum hæc impotentia ab eius voluntate deſcendat, Jure dicitur, & eſt *conſequens*. Hinc fit, quod impotentia peccandi in confirmato

in

in Gratia, ſit non *antecedens*, ſed *conſequens;* quoniam confirmatio in Gratia ſtat in decreto ſemper conferendi auxilia prævisa efficacia per ſcientiam mediam per quam tale decretum dirigitur, & quam ſupponit: ſcientia autem Media, cum à creatura ponente determinativum illius, ſcilicet conſenſum, pendeat, conſequens eſt, & à creatura impedibilis; ſimiliterque decretum eam ſcientiam ſupponens, impedibile eſt, & conſequens, ac pro inde ſervans libertatem, quam ſola neceſſitas antecedens evertit. Nunc ad argumentum in forma, nego maiorem, & diſtinguo maiorem probationis: non potuit non obſervare præcepta, impotentia antecedenti, nego; conſequenti, concedo: & eiſdem terminis maiorem probationis, diſtinguo.

Sed contra: atqui impotentia confirmati in gratia ad peccandum eſt antecedens: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur minor: Impotentia ad aliquid proveniens à principio antecedenti connexo, eſt antecedens; ſed impotentia confirmati in gratia ad peccandum provenit à decreto confirmativo antecedenti, & connexo: ergo eſt antecedens. Nota: quod principium *ſimpliciter* antecedens eſt quod proximè, & immediatè influit in actum conſtituens potentiam proximam ad illum: & tale principium eſt inimpedibile, quia potentia proxima non poteſt impedire ſuum conſtitutivũ, alias ſe ipſam impediret. At vero principium remotum eſt principium *ſimpliciter* conſequens, & ſolum *ſecundum quid* antecedens, nam per potentiam proximam impediri poteſt:

&

& ſic ſe habet decretum confirmativum in Gratia, quod reſpectu operationum confirmati, ſe habet remotè determinando auxilia ad exiſtendum, quæ ſolum cum reliquis comprincipijs libertatis potentiam proximam conſtituunt. Hinc ad inſtantiam, diſtinguo minorem: eſt antecedens *ſimpliciter*, nego; *ſecundùm quid*, concedo: & minorem probationis: proveniens à principio *ſimpliciter* antecedenti, eſt *ſimpliciter* antecedens, concedo; à principio *ſecundum quid* antecedenti, nego; & ſimiliter diſtinguenda eſt minor, terminis debite applicatis.

SECTIO II.

AN IN S. JOSEPH FUERIT EXTINctus, aut ligatus peccati Fomes?

PRæmitto primo: quod *fomes peccati* non eſt aliqua qualitas diſtincta à ſenſualitate, ſed eſt inordinata concupiſcentia habitualis, & ipſe appetitus ſenſitivus, quatenus in bonum ſenſibile rationi contrarium inclinat, vel eundo contra Imperium rationis, vel eam præveniendo. Et talis fomes licet ab Apoſtolo ad Rom. 8, & ad Galat. 3. *peccatum* appelletur, peccatum tamen propriè non eſt, ſed ita dicitur, *quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat*; vti declarat in decreto de pecc. orig. can. vlt Sacroſancta Tridentina Synodus; & declarat etiam, *manere*

in baptizatis hanc concupiſcentiam, vel fomitem: qui quidem effectus eſt originalis maculæ, & nobis à Deo relictus, non vt peccemus, ſed vt reſiſtamus, & reſiſtentes coronemur.

Præmitto ſecundo: quod hic effectus peccati originalis, qui fomes eſt, primum in concupiſcentiæ motibus inordinatis apparuit; nam in ſtatu originalis juſtitiæ non erubeſcebant Parentes primi, quamvis eſſent nudi, vti Gen. 2. dicitur, *erant autem vterque nudus, & non erubeſcebant*, nimirum, *quia nullum motum carnis ſentiebant*, vt Gloſſa interlinearis explicat. At vero culpa patrata, & Innocentia perdita, ſe eſſe nudos cum erubeſcentia cognoverunt, ibi: *Aperti ſunt oculi amborum. Cumque cognoviſſent, ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Hoc eſt vt, ait Lyra, *ſuccintoria circa lumbos; partes enim inferiores corporis ſunt magis erubeſcibiles, quia magis moventur contra Imperium rationis.* Eaque propter, remedium circuncifionis in membro generationi deſtinato, appoſitum fuit, vt notavere D. Aug. lib. 14. de Civit. Dei: cap. 15. & S Bern. ſerm. 1. de Circuncifione.

Præmitto tertio: quod fomes peccati, vel eſt *in actu primo*, & eſt, quem primo præmiſſo explicuimus: vel eſt *in actu ſecundo*, & ſunt ipſæ actuales affectiones, ſeu motus inordinati concupiſcentiæ. Quarto: quod fomes in aliquo ſubjecto dici poteſt, vel *ligatus*, vel *extinctus*. Id vero tom. 4. diſp. 2. q. 1. pun. 4. prope finem clarè, & optimè P. Valentia explicat, per hæc verba: *Fomes autem peccati conſopiri*

piri quidem, & velut ligari dici poteſt, cum ab extrinſeco prohibetur, ne poſſit proxime, & expedite tendere in objecta ſenſibilia contraria rationi. Impediri autem, ſeu tolli, non niſi tunc, cum ab intrinſeco, ſingulare aliquod Gratiæ donum animo inhærens obſtat, quominus ſit in appetitu ſenſitivo illa expedita, & proxima facultas tendendi in huiuſmodi objecta contraria rationi. Vnde tunc fomes dicitur *ligatus*, cum per extrinſecam Dei providentiá prohibetur appetitus habere formalitatem fomitis; tunc autem *extinctus*, quando id fit per habitus, & virtutes intrinſecè inhærentes animæ concurrente etiam divina Gratia excitante, prævenientе, & adjuvante. His poſitis.

Noſtra concluſio eſt cum Gerſon. ſerm. de Nativ. Mariæ Joann. Echio ſerm. de S. Joſeph, Buſtos in Mariali 4. p. ſerm. 12. PP. Caniſ. lib. 2. de Virg. cap 13. Salmer. Barrad. & alijs, quos refert, & ſequitur P. Morales lib. 3. tract. 3. n. 41: Fomes in *actu primo* fuit in S. Joſeph prorſus extinctus, & non tantum ligatus. Probatur concluſio ex Scriptura: nam Canti. 6. dicitur: *Dilectus meus paſcitur inter lilia*, & ibi Rupertus, ait: *Has duas Perſonas Mariam, & Joſephum præ alijs rectè vocari, & eſſe lilia, ob Virginales nempè Nuptias, & caſtiſsimam cohabitationem.* Ex quibus ſic: Maria, & Joſeph ſunt duo puriſſima lilia, inter quæ paſcitur Puriſſimus Jeſus; atqui Mariæ fuit tanta puritas, vt in ea fuerit non ſolum ligatus, ſed etiam extinctus fomes peccati, qui primo in motibus concupiſcentiæ inordinatis exercetur contra puritatem, iuxta præmiſſ.

2: ergo in Joſeph fuit tanta puritas, vt in eo fuerit fomes peccati extinctus, & non tantum ligatus. Aliter: extrema, inter quæ medius eſt Jeſus ſunt duo lilia Maria, & Joſeph; atqui indecens eſſet, quod vnum ex extremis eſſet vitioſum, ſeu haberet fomitem, qui licet peccatum non ſit, ad illud tamen inclinat: ergo indecens eſſet, quod S. Joſeph, qui eſt vnum illud ex extremis, eſſet vitioſus, ſeu vitiatus fomite peccati, ac per conſequens hic in eo eſt prorſus extinctus.

Vlterius: Nam Gen. 2. v. 18. dixit Deus: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, quem textum applicat B. Joſeph S. Bernar. Senenſ. tom. 3. ſerm. de S. Joſeph, per hæc verba: *Quomodo cogitare poteſt mens diſcreta, quod Spiritus Sanctus, tanta vnione (conjugij ſcilicet) vniret menti tantæ Virginis aliquam animam, niſi ei virtutum operatione ſimillimam? Vnde credo, Joſeph fuiſſe mundiſsimum in Virginitate; profundiſsimum in humilitate; ardentiſsimum in charitate; altiſsimum in contemplatione; ſolicitiſsimum pro omni ſalute ad ſimilitudinem illius Virginis Sponſæ ſuæ, vt videlicet eſſet adjutorium ſimile Virgini.* Tum ſic: S. Joſeph datus fuit in adjutorium ſimile Virgini, maximè quoad dona, & virtutes communem matrimonij convictum concernentes; atqui maximè ad hunc effectum concernit extinctio fomitis, quæ in B. Virgine Sponſa Joſeph facta eſt: ergo in S. Joſeph data eſt hæc extinctio fomitis, alioqui adjutorium ſimile Virgini non fuiſſet.

Pro-

Probatur iam concluſio ratione : S. Joſeph per annos multos vixit, & converſatus eſt cum Virgine Pulcherrima Sponſa ſua, habitavit in eadem domo; cũ ea in menſa aſſedit, duxit eam in Ægyptũ, & reduxit per vaſtas ſolitudines, abſque vllo, vel minimo periculo incontinentiæ; atqui ad hoc conveniens videtur vt in illo eſſet peccati fomes extinctus, accedente præcipuè ardentiſſimo, quamvis etiam caſtiſſimo, & ſinceriſſimo amore erga Sponſam ſuam : ergo in S. Joſeph fuit peccati fomes extinctus. Dixi autem *extinctus*, quia cum extinctio fiat per ſpecialiſſima dona Gratiæ, habitus, & virtutes intrinſecè inhærentes, quis dubitet, eas à Deo conceſſas Sponſo Puriſſimo, Puriſſimæ Matris ſuæ? Dixi etiam in concluſione *fomes in actu primo* quia piè credendum cenſeo, nullum vnquam concupiſcentiæ motum in S. Joſeph fuiſſe, vt ita dignus foret Sponſus Mariæ, ac per conſequens nec fomitem *in actu ſecundo*, & quia hic poſita ablatione fomitis *in actu primo*, etiam tollitur.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum : S. Joſeph neganda non eſt virtutis perfectio; atqui talis eſt quodammodo fomes, iuxta Apoſt. 1. Corint. 2. agentem de fomite, & dicentem : *virtus in infirmitate perficitur* : ergo Sancto Joſeph negandus non eſt peccati fomes. Nota cum D. Thom. 3. p. q. 27. art. 3. ad 2. quod licet carnis infirmitas pertinens

ad fomitem ſit in Sanctis occaſio, & exercitium virtutis, vti fuit in Paulo; tamen ad virtutis perfectionem non ita requiritur, vt ſine ea dari non poſſit. Abſque ea igitur data fuit in S. Joſeph maxima virtutis perfectio, & propter excellentis Gratiæ, charitatiſque abundantiam, & propter eximium conatum in omni exercitio virtuoſo: Indeque perfectio, quæ ex victoria appetitus illi erat adventura, per heroicos virtutum actus compenſata ſatis eſt. Hinc diſtinguo maiorem: neganda non eſt virtutis perfectio eſſentialiter requiſita, & quæ aliunde non compenſetur, concedo; ſi compenſetur, nego.

Argumentum ſecundum: Non minus fomes eſt pœna, & effectus peccati, originalis, quam mors aliæque huius vitæ pœnalitates; ſed quia S. Joſeph fuit conceptus in peccato originali has omnes ſubſtinuit: ergo etiam fomitem propter rationem eamdem. Ad argumentum, nego conſequentiam, & eſt aperta diſparitas, quia mors, & pœnalitates reliquæ corporales non inclinant ad peccatum; ideoque non dedecuit, quod illas ſubſtineret Chriſtus Dominus, & pro inde multo minus Putativus illius Pater; at vero cum fomes ad peccatum inclinet, præſertimque ad motus concupiſcentiæ contra puritatem, conveniens fuit vt in Sponſo, Puriſſimæ Virginis Mariæ prorſus extingueretur.

Argumentum tertium: ſi in S. Joſeph fuiſſet peccati fomes extinctus maximè, vel in tempore primæ Sanctificationis, in vtero Matris, vel deſponſationis cum B. Virgine; ſed in nullo ex his temporibus:

bus: ergo nunquam. Probatur minor: ſi in aliquo ex his temporibus fuiſſet in S. Joſeph peccati fomes extinctus, caro S. Joſeph fuiſſet Sancta, & fomitis peccati expers, ante carnem Chriſti, qui poſtea conceptus eſt; atqui hoc non decuit, iuxta D. Tho. 3. p. q. 27. art. 3. corp. ſicut non decuit, vllum hominem immortalitatem carnis adipiſci, antequam Chriſtus reſurgeret immortalis: ergo in nullo, &c. Nota: quod probabiliter dici poteſt, fomitem peccati fuiſſe extinctum in S. Joſeph tempore Sanctificationis in vtero; quin hoc deroget dignitati carnis Chriſti, cum ex eius meritis provenerit: ſicut nihil Chriſto derogat, quod ante illum ſed ex eius meritis plures Sancti habuerint eximium Sanctitatis gradum. Hinc ad argumentum, nego minorem, & diſtinguo maiorem probationis: ante carnem Chriſti, & ex eius meritis, concedo; aliter, nego, & minorem. Ad paritatem ex D. Thom. dic: quod cum perfectio immortalitatis carnis pertineat *ad terminum*, non decuit, aliquem hominem conſtitui in ea, nec in anima, nec in Corpore ante Chriſtum; at perfectio extinctionis fomitis *ad terminum* non ſpectat, ideoque viatori communicabilis eſt.

Sed contra: in B. Virgine non fuit extinctus fomes peccati vſque ad conceptionem Chriſti: ergo non decuit, quod in S. Joſeph fuerit extinctus vel tempore Sanctificationis in vtero, vel deſponſationis. Antecedens eſt aliquorum Patrum, pro quibus omnibus ſufficiat S. Cyprianus lib. de Cardi. Chriſt. oper. cap. de Nativ. Chriſti, inquiens: *In*

Chri-

Chriſti conceptione Spiritu Sancto obumbrante, originale incendium extinctum fuit, legem mentis non infeſtabat, rebellio nulla quietem Spiritus affligebat, nec receſſerat a venerabili pectore Matris Spiritus S. ad verbum Gabrielis illapſus: ergo in B. Virgine, &c. Ad inſtantiam, nego antecedens, quia vti defendi tract. de B Virg. diſſ. 4. ſec. 3. cum pluribus Patribus, ab inſtanti Puriſſimæ conceptionis fuit in ea peccati fomes extinctus. Ad S. Cypr. & alios Patres reſpõdetur cum D. Exim: eos non loqui de fomite peccati, ſed de voluptate carnali, & puerperij ſordibus, à quibus B. Virgo in conceptione, & Nativitate Chriſti fuit prorſus immunis.

Argumentum quartum: vt S. Joſeph eſſet liber ab omni æſtu libidinis, & motu concupiſcentiæ, ex habitatione, & converſatione continua cum B. Virgine non fuit neceſſe, quod in eo peccati fomes extingueretur: ergo non fuit extinctus, nec tenet ratio concluſionis. Probatur antecedens: S. Ambr. lib. de inſtit. Virg. cap. 7. inquit: *Tanta erat Mariæ gratia, vt non ſolum in ſe virginitatem ſervaret, ſed etiam ſi quos inviſeret integritatis inſigne conferret.* S. Bernard. Senenſ. tom. 2. ſerm. 21. Domi: poſt Domin. Palmarum, ait: *Converſatio B. Virginis adeo per extrinſeca ſigna apparebat honeſtiſsima, quod nullatenus poſſet ad fœdum aliquod inclinare*; & ſimilia dicit tom. 4 ſerm. 19. Diony. Cartuſ. in 2. canti, ait: *Deipara Virgo tam immenſa caſtitate erat repleta, quod intuentium corda ſic penetravit ſua ineſtimabili caſtitate Virginea, quod a nullo potuit concupiſci; immo potius extin-*

tinxit ad horam illorum libidinem. Demum Gerſon. Serm. de Nativ. Mariæ conſid. 3. in princip. refert cum D. Bonav. ex fideli narratione Judæorum: *Quod nullus ex aſpectu glorioſæ Virginis, quamvis eſſet pulcherrima nimis, vrebatur, aut inflammabatur ad fœdam carnis concupiſcentiam, ſed eam potius extinguebat ille divinus aſpectus*: ergo vt S. Joſeph eſſet liber, &c.

Præmitto ad ſolutionem: quod cum Sanctiſſima Virgo eſſet Sacrarium Divini Verbi, habitaculumque Spiritus Sancti, & aliunde conveniens fuerit, vt eſſet deſponſata Joſeph, atque habitaret cum illo, opus fuit, vt cuſtodiretur omni cuſtodia poſſibili, nimirum tam *ex parte ſui*, quam *ex parte Sponſi*, ita vt illius eſſet adeo ſecura caſtitas, vt non ſolum eam alijs afflaret, verum etiam in Sponſo puriſſimo extinctus eſſet peccati fomes: ſic enim illius cuſtodia omni ex parte perfecta fuit. Hinc ad argumentum, diſtinguo antecedens: non fuit neceſſe abſolutè, concedo; vt cuſtodia illius eſſet omni ex parte perfecta, nego.

Sed contra: atqui vt cuſtodia Virginis eſſet omni ex parte perfecta non fuit neceſſe, quod in S. Joſeph foret peccati fomes extinctus: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur minor: vt cuſtodia Virginis eſſet omni ex parte perfecta, ſufficit, quod in S. Joſeph; foret peccati fomes ligatus, ſic enim tam ex parte Sponſæ, quam Sponſi eſſet omnimoda ſecuritas: ergo non fuit neceſſe, quod foret extinctus. Nota: quod cuſtodia B. Virginis debuit eſſe omni ex parte perfecta, maiori perfectione poſſibili, talis

enim decebat Matrem Dei: & cum maior perfectio cuſtodiæ ſit non ſola ligatio, verum etiam extinctio fomitis, hæc, & non alia minor, quamvis abſolutè ſufficiens, debet admitti. Hinc ad inſtantiam in forma, diſtinguo antecedens vtrumque: non fuit neceſſe, & ſufficit fomes ligatus, abſolutè loquendo, concedo; attenta maiori perfectione cuſtodiæ, quæ poni debet, nego.

Argumentum quintum: fomes in actu primo eſt appetitus inclinatio ad bonum ſenſibile contrarium rationi tanquam ad proprium objectum; atqui hæc inclinatio nullo modo poteſt tolli: nam inclinatio rei ad ſuum proprium objectum eſt eſſentia rei ipſius, quæ tolli nequit, quamvis actus ſecundus impediri poſſit: ergo fomes in actu primo, nullò modo poteſt tolli, ac per conſequens in S. Joſeph non fuit extinctus. Vlterius: Si in S. Joſeph fuiſſet extinctus fomes peccati, maximè per gratiam actualem, & habitualem, per negationem concurſus, & per habitus virtutum intrinſecos, hoc enim eſt extingui; ſed omnia hæc nequeunt tollere inclinationem appetitus in bonum ſenſibile rationi contrariũ, quod eſt ipſius objectum: ergo in S. Joſeph non fuit extinctus peccati fomes in actu primo. Argumentum multum probat: quia probat, contra omnes Theologos, nec in Chriſto Domino, nec in eius Sacratiſſima Matre fuiſſe fomitem in actu primo extinctum. Pro omnibus igitur.

Præmitto primo: quod objectum proprium appetitus ſenſitivi eſt quodvis bonum ſenſibile, & hoc

hoc ſæpè eſt rationi contrarium. Attamen talis appetitus tunc ſolum habebit rationem, ſeu formalitatem *fomitis*, quando poſſit ferri in illud bonum ante, vel contra rationis imperium; quando verò non poſſit ita ferri in illud, tunc formalitatem *fomitis* non habebit. Secundo: quod inclinatio in bonum ſenſibile *ſecundum ſe ſumptum* eſt eſſentia appetitus; poſſe autem ferri in illud bonum, vel præveniendo, vel eundo contra imperium rationis, non eſt illius eſſentia, ſed vitium, & defectus, ab originali deſcendens; indeque impediri, & tolli poteſt.

Præmitto tertio: quod inclinatio in bonum ſenſibile, vel eſt *remota*, & hæc eſt ipſa natura appetitus, vel eſt *proxima*, quando nimirum expedita eſt, vt in illud quomodolibet tendat. Ex his ad argumentum in forma, diſtinguo maiorem: fomes in actu primo eſt appetitus inclinatio in bonum ſenſibile, quando poteſt appetitus in illud ferri ante, vel contra rationis imperium, concedo; quando non poteſt, nego; & minorem; hæc inclinatio remota, & radicalis, nullo modo poteſt tolli, concedo, minorem cum ſua probatione; hæc inclinatio proxima, nego: quia proximitas, ſeu expeditio non eſt de eſſentia illius. Ad id quod additur, diſtinguo minorem: hæc omnia nequeunt tollere inclinationem remotam, & radicalem, concedo; proximam, ſubdiſtinguo: nequeunt tollere inclinationem, quatenus hæc habet rationem, ſeu formalitatem *fomitis*, nego; quatenus eſt præciſè inclinatio radicalis, concedo: & ex dictis patet ſolutio.

SEC-

SECTIO III.

QUANTA FUERIT SANCTITAS B. Joſeph?

PRimus in Evangelio canonizatus fuit S. Joſeph quoniam ante omnes alios de illus Sanctitate ſolemne teſtimonium Spiritus Sanctus perhibuit Matth. 1. dicens: *Joſeph, cum eſſet Juſtus.* De hac ergo eximia Sanctitate agendum modo eſt, cuius vt excellentia pateſcat. Præmitto primo: quod hoc nomen *Juſtitia* aliquando ſumitur *ſtrictiſſimè*, pro vna ex quatuor virtutibus cardinalibus, cuius munus eſt conſtituere æqualitatem tribuendo vnicuique Jus ſuum. Aliquando autem accipitur *latè* pro complexione omnium virtutum, iuxta illud Ph. 4. *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ;* atque ita ſumpta vocatur *Juſtitia univerſalis*, de qua S. Hieron. Epiſt. ad Demetriadem, inquit: *Omnium virtutum ſpecies, vno Juſtitiæ nomine continentur.* Et Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 1. & 2. *Juſtitia eſt communis virtus.*

Ratio vero, cur complexio omnium virtutum rectè appelletur *Juſtitia* hæc eſt: Quia per omnem actum virtutis adæquatur homo cum regula rationis, & legis æternæ; atque omnis etiam Juſtitia ſonat adæquationem cum debito. Præmitto ſecundo: quod Gratia etiam Sanctificans, & Charitas ſupernaturalis appellatur ſæpè *Juſtitia*, ratione enim illarum Juſti apud Deum ſumus. Ratio autem talis no-

minationis eſt, quia Charitas, & Gratia non ſolum omnes obliquitates contra legem tollunt, quatenus omne peccatum læthale delent, ſed etiam promptos nos faciunt ad legem meritoriè implendam, & nos quoque adæquant ſupernaturali fini. Igitur intelle-cto in canonizatione Evangelica S. Joſeph nomine *Juſtus* pro *Sanctus*, vt eius eminentiſſima Sanctitas dignoſcatur, ſit,

Prima concluſio: S. Joſeph fuit *Juſtus* juſtitia non ſolum particulari, verum etiam vniverſali omnes virtutes complectente. Probatur concluſio, ex Patribus: nam S. Joan. Chryſoſt. hom. 4. ſup. cap. 1. Matth. in quo S. Joſeph Vocatur *Juſtus*, inquit: *Juſtum hic in omni virtute dicit eſſe perfectum; eſt enim Juſtitia generalis, quæ ex cunctis omnino perficitur, iuxta quem præcipuè modum in Scriptura ſolet appellari Juſtitia, vt cum dicit: Homo Juſtus verax.* Et B. Albert. Mag. ſuper *Miſſus eſt* cap. 46. ait: *Fuit ergo Joſeph vir per conſtantiam fidelitatis, quantum ad Juſtitiam pertinet; & per virtutem Caſtitatis quantum ad temperantiam: & per excellentiam diſcretionis, quantum ad prudentiam; & per ſtrenuitatem operationis quantum ad fortitudinem: & ſic in S. Joſeph notatur excellentia quatuor virtutum cardinalium*: ergo in S. Joſeph fuit complexio omnium virtutum, ac per conſequens juſtitia generalis.

Probatur item concluſio ratione: S. Joſeph fuit excellentior in juſtitia Joſeph Patriarcha Typo illius; atqui in Joſeph Patriarcha fuit juſtitia generalis, omnes virtutes complectens: ergo in gradu emi-

nen-

nentiori fuit in S. Joſeph. Probatur minor, ex Euſeb. Cæſari. lib. 7. de præpar. Evang. cap. 3. in fine, dicente: *Aderat Joſepho libertas animi, maximè robur invictum, pudor eximius, Juſtitia, modeſtia, prudentia ſumma: ſed pietate in verum Deum maximè præſtabat, eratque mirabili corporis præditus formoſitate, qua adoleſcentia virtutibus ornata inſignis videbatur.* Subſumo: atqui hæc omnia præſtantius in Joſeph figurato, quam in Joſeph, qui figura fuit, extitiſſe non eſt ambigendum: ergo S. Joſeph Juſtitia complectente omnes virtutes Juſtus fuit.

Secunda concluſio: S. Joſeph fuit Juſtus, juſtitia accepta pro charitate ſupernaturali, & gratia Sanctificante, Sanctitate, nimirum, eximia, & perfectiſſima. Probatur concluſio ex Scriptura: nam Matth. 10, dicit Chriſtus Dominus: *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem ſuam.* Tum ſic: qui in nomine Chriſti fecerit opera miſecordiæ accipiet mercedem gratiæ, tanto maioris, quanto excellentiora fuerint opera: ergo qui cum ipſomet Chriſto fecerit opera miſericordiæ excellentiſſima, accipiet mercedem gratiæ eximiæ, & perfectiſſimæ; atqui S. Joſeph fecit cum ipſomet Chriſto opera miſericordiæ excellentiſſima: ergo accepit mercedem Gratiæ eximiæ, & perfectiſſimæ.

Probatur deinde concluſio ratione: B. Virgo, uti dixi in eius tract. diſſ. 3. ſec. 6. meruit Juſtis gratiam Sanctificantem, & auxilia gratiæ, quibus ad eam ſe diſponerent: ergo potiori jure meruit S. Jo-

ſeph

ſeph, & per ſuam orationem impetravit auxilia gratiæ efficaciſſima, & intenſiſſima, quibus eam obtineret; ſed eo ipſo S. Joſeph conſecutus fuit gratiam eximiam, & perfectiſſimam: ergo fuit Juſtus, juſtitia, ſeu Sanctitate eximia, & perfectiſſima. Vlterius: Deus, iuxta D. Tho. in Epiſt. ad Rom. lec. 5. tribuit vnicuique Sãctitatem, & gratiam proportionatam ei muneri, ad quod illum eligit; atqui S. Joſeph elegit ad altiſſimum munus Patris Putativi Chriſti, & Sponſi Mariæ, ad quod obeundum dignè ſumma egebat gratia, & Sanctitate: ergo S. Joſeph tribuit ſummam Sanctitatem, & gratiam.

Quanta vero illa fuerit, cum nobis revelatum non ſit, nequit diſtinctius explicari; poterit tamen aliquatenus dignoſci, ponderando illius per totam Joſephi vitam mirabile augmentum. Etenim in primis ante matrimonium cum B. Virgine iam erat eximiè perfectus, & Juſtus; & quia fuerat Sanctificatus in vtero, atque in gratia confirmatus, & quia ita inſinuat Evangelium dicens: *Joſeph, cum eſſet Juſtus;* & quia ob maximam famam Sanctitatis, & non abſque ſingulari Spiritus Sancti inſtinctu, judicatus eſt idoneus, cuius B. Virgo cuſtodiæ traderetur; & quia iam Virginitatem voverat, eiuſque florem intactum ſervaverat. Deinde poſt matrimonium contractum cœleſtem cum Virgine egit vitam, vt jure Rupert. lib. 1. in Matth. dixerit: *Tota Conjugum* (ſcilicet Mariæ, & Joſeph) *vita, ſive conjunctio fuit cœleſtis, & Spiritus Sanctus amborum conjugalis amor, quorum vtique converſatio erat in Cœlis.* Ex quibus conjici licet,

in quantum auxerit gratiam per Sanctiſſimæ Virginis converſationem. Denique poſt Chriſtum natum, & reliquo vſque ad mortem vitæ decurſu longè maius fuit in Joſeph Sanctitatis augmentum, nam Chriſti præſentia, & familiari convictu, verbiſque, ac exemplis ad ferventiſſimos, & frequentiſſimos actus charitatis excitabatur.

Tertia, & præcipua concluſio cum aliquibus Authoribus, quos ſupreſſo nomine citat P. Suarez tom. 2. in 3 p. diſp. 8. ſec. 2, & quos noviſſime ſequitur P. Paulus Señeri, Serm. de S. Joſeph. á n. 4. vſque ad 11. Veriſimile, & pium eſt aſſerere, quod Sanctitas B. Joſeph fuit maior Sanctitate omnium Sanctorum, excepta tantum B. Virgine. Ante probationem concluſionis, videndum eſt, quid de illa ſentiat D. Eximius: loco ergo ille citato, ſic loquitur: *In hac comparatione non exiſtimo, eſſe temerarium, neque improbabile, ſed pium potius, & veriſimile, ſiquis fortaſſe opinetur S. hunc* (nimirum Joſeph) *reliquos omnes in Gratia, ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil eſt, quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio Et ſi quæ ſunt generales locutiones, quibus Apoſtolos præferre videantur, intelligi poſſunt, facere comparationem regulariter cum alijs Sanctis, & non excludere ſpeciale aliquod privilegium, & præſertim loqui de poſterioribus Sanctis; non vero de ijs omnibus, qui cum Chriſto vixerunt, & ipſis Apoſtolis contemporanei fuerunt.* Hucvſque P. Suarez, in quibus ſpecialiter nota ly *pium*, & *veriſimile*. Jam vero.

Probatur concluſio quatuor, meo videri effica-

ci-

ſibus, & ſolidis rationibus. Prima: iuxta D. Tho. 3. p. q. 27. art. 5. corp: *Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere; tanto magis participat effectum illius principij*; atqui S. Joſeph magis quã omnes alij Sancti appropinquavit principio gratiæ: ergo magis participavit effectum Gratiæ, ſeu maiorem, quam illi, habuit Sanctitatem. Probatur minor: duplex eſt gratiæ principium: Chriſtus, & Maria: Chriſtus vt *Caput*: Maria vt *collum*, dicente S. Bern. ſup. *Miſſus, eſt* & ſerm. de Nativ. Mariæ. *Ipſa eſt collum Caput Eccleſiæ Chriſtum corpori eius conjungens*: & S. Bernardi. Senenſ. ſerm. 3. de Nom. Mariæ. art. 3. cap. 2: *in Chriſto fuit plenitudo Gratiæ, ſicut in capite fluente; in Maria vero ſicut in collo transfundente*; atqui S. Joſeph magis, quam omnes alij Sancti, appropinquavit Chriſto, & Mariæ, tum propter conſaguinitatem, tum propter conjugale vinculum, tum propter munus paternum: ergo S. Joſeph magis, quam omnes alij Sancti, appropinquavit, principio gratiæ, ideoque ſicut humanitas Chriſti, quia propinquior Verbo, abundantiorem Gratiam, præ omnibus accepit; Deinde Maria; S. Joſeph, qui tertio loco propinquior eſt, maiorem, quam omnes Sancti, Gratiam participavit.

Secunda: Pro maiori dilectione principij communicantis Gratiam, maior eſt Gratiæ communicatio: ergo pro maiori dilectione Mariæ erga aliquem hominem, maiorem illi *tanquam collum* Gratiam communicavit; atqui Maria magis, quam omnes alios homines dilexit Joſephum, vt potè di-

lectiſſimum Sponſum ſuum: ergo maiorem præ omnibus illi *tanquam collum* Gratiam communicavit; ac per conſequens eius Sanctitas, maior fuit quam omnium Sanctorum. Tertia: B. Virgo eſt *Regina Sanctorum omnium*, vti eam in litanijs Lauretanis vocat Eccleſia: ergo S. Joſeph eſt *Rex Sanctorum omnium*, propter dicta diſſ. 3. ſec. 2; ſed Rex Sanctorum omnium debet eſſe ſuperior omnibus in Sanctitate: ergo S. Joſeph ſuperat in Sanctitate omnes Sanctos. Quarta Demum. Deus dat gratiam ſecundum menſuram muneris, & dignitatis, ad quam aliquem eligit, vti de Angelis dicunt Theologi; atqui Deus nullum hominem ad tantam dignitatem elegit, ad quantam S. Joſeph, nam hic electus eſt vt haberet identitatem moralem cum Maria, & locum Æterni Patris in terra, ad quæ nullus alius Sanctus electus eſt: *ideoque eius dignitas eminentior eſt qualibet alia, ad quam poteſt homo pervenire*, vti expreſſe ait P. Dominicus Bohurs lib. conſid. Chriſt. die 29. menſis dicata S. Joſeph n. 1: ergo Deus contulit. S. Joſeph maiorem Gratiam, quam omnibus Sanctis.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentũ primum contra tertiam concluſionem (contra duas enim primas nullum opponitur) temerarium, & erroneum eſt aliquem Sanctum comparare, vel etiam præferre Apoſtolis in Sanctitate: ergo non poteſt niſi temere aſſerri,

San-

Sanctitatem B. Joſeph fuiſſe maiorem Sanctitate omnium Sanctorum. Probatur antecedens ex D. Tho. qui ea verba Apoſtoli, ad Ephe. 1. *ſecundum divitias gratiæ eius, quæ ſuperabundavit in nobis*, ſic explicat; *abundantius fuit, quam in alijs* : & ſubjungit : *ex quo apparet temeritas illorum, (vt non dicam error) qui aliquos Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & Gloria; manifeſtè enim patet ex Verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam maiorem, quam aliqui alij Sancti, poſt Chriſtum, & Virginem Matrem.* Deinde in illud Apoſtoli ad Rom. 8: *Nos ipſi primitias Spiritus habentes*, inquit cum Gloſſa, *Tempore prius & cæteris abundantius*; concluditque in hunc modum: *Temerarium eſt ergo, aliquem Sanctum Apoſtolis comparare*: ergo temerarium eſt, &c.

Vlterius: Idem Angelicus D. exponens illud Phs. 44 *conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, hæc habet: *ſicut B. Virgini nulla mulier comparatur; ita neque aliquis Sanctus poteſt Apoſtolis comparari, neque adæquari.* Tum ſic: ſicut temerarium eſſet, aliquam mulierem B. Virgini comparare, ita aliquem Sanctum Apoſtolis; ſed temerarium eſſet etiam S. Joſeph B. Virgini in Sanctitate comparare: ergo & comparare in Sanctitate Apoſtolis. Hoc eſt præcipuum argumentum, pro cuius ſolutione aliqua præmittenda ſunt, ex doctrina Doctoris Eximij loco citato tradita. Præmitto igitur primo: quod cenſura D. Thomæ non eſt *vniverſaliter*, & abſque vlla exceptione accipienda. Conſtat id primo ex ipſo D. Thom. qui ſuper cap. 3. Matth, explicans illa verba;

ba; *cuius non ſum dignus, &c.* interrogat: *Nunquid ergo maiores Apoſtoli Joanne?* Reſponderque: *Non merito, ſed Officio novi teſtamenti*: ergo iuxta D. Tho. S. Joannes Baptiſta maior eſt Apoſtolis *merito*, ac pro inde, & Sanctitate; ipſeque Angelicus D. non vult, ſuam cenſuram vniverſaliter accipi.

Secundo ex SS. Eccleſiæ Doctoribus Aug. Chryſt. Ambr. & Anſelm: ex quibus S. Aug. *de diverſis* ſerm. 40. inquit: *Joannes magnus erat homo, ſed homo: tam magnus autem erat homo, vt quidquid plus illo eſſet Deus eſſet.* S. Ambroſius ſerm. 64. ait de Baptiſta: *Præcellit cunctis, eminet vniverſis, antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis de muliere, eſt inferior eſt Joanne.* Quæ verba etiam ſunt S. Aug. ſerm. 21. de Bap. Et S. Anſelmus in eundem Matth. locum, quem S. Thom. exponit, ait: *In Cœlo non eſſe minorem Joannem, quam Apoſtolos; imo eſſe illis maiorem.* Subſumo: atqui maioritas in Cœlo datur pro maioritate Sanctitatis, ſeu gratiæ, quam quis habuit in terra, quia Gratia eſt ſemen Gloriæ: ergo Sanctitas Joannis fuit maior, Sanctitate Apoſtolorum; ſed Sanctitas B. Joſephi *probabile eſt, quod fuit maior Sanctitate Joannis Baptiſtæ, quia* vt ait Eximius Doctor. *excellentius munus habuiſſe videtur, & maiorem opportunitatem, pluresque occaſiones creſcendi in Gratia, & Charitate*: ergo ſicut maioritas Sanctitatis Joannis poteſt admittere exceptionem in S. Joſeph, ita poterit maioritas Gratiæ Apoſtolorum, quæ in gratia Joannis iuxta Sanctos Patres illam admittit; & ſic cenſura nequit eſſe vniverſalis.

Ter-

Tertio: quia lib. 8. Conſti. Apoſtol. cap. 46, alias 52, dicunt Apoſtoli, ſe elegiſſe ſeptem Diaconos, *ex quibus*, aiunt, *eſt B. Martyr Stephanus, qui non minus, quam nos Deum dilexit.* Tum ſic: vera Sanctitas conſiſtit in dilectione Dei; atqui Apoſtoli ſibi faciunt æqualem S. Stephanum in dilectione Dei: ergo & in vera Sanctitate. Subſumo; atqui non eſſet temerarium, aut etiam erroneum, exiſtimare S. Joſeph æqualem in Sanctitate, aut etiam ſuperiorem Stephano: ergo neque eſſet exiſtimare ſuperiorem Apoſtolis. Et nota: quam benè dixerit S. Thom. ſup. Apoſtolos fuiſſe maiores Joanne, *Officio novi Teſtamenti*, vt hinc exceptionem pro S. Joſeph clarè percipias, quia officium S. Joſeph non pertinuit ad novum Teſtamentum, neque propriè ad vetus, ſed ad vtriuſque Authorem, & lapidem angularem, qui fecit vtraque vnum.

Præmitto ſecundo: quod ea verba Pauli ad Epheſ. 1. *ſuperabundavit in nobis*, ita intelligit Adamus, *quam copioſè in nos effuſa eſt*, nimirum abſque vlla comparatione; & S. Hierony. qui vertit: *abundavit in nobis*, ea interpretatur non tantum de Apoſtolis, ſed de omni Eccleſia ex Gentibus congregata. Et licet de ſolis Apoſtolis, & facta proprijſſimè comparatione, textus intelligatur, non ideo debet accipi de gratia *gratum faciente*, quæ eſt Gratia Sanctificans, ſed de gratijs *gratis datis*, V. G. miraculorum, curationum, ſcientiæ, & prudentiæ, quæ in textu ponuntur ab Apoſtolo, *ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia; & prudentia*, vt S. Anſel. videtur exponere:

nere: quæ quidem gratiæ neceſſariæ erant ad Apoſtolicum munus, & in eis Apoſtoli, S. Joſeph ſuperarunt; de illo enim nullum miraculum legitur; & licet habuerit aliquas revelationes Propheticas, & Angelicas illuſtrationes, quæ ad ſcientiam ſupernaturalem pertinent; in reliquo tamen ſcientia illius non videtur extendenda vltra eam, quæ ſuo muneri convenienter obeundo fuit opportuna.

Præmitto tertio: ea Apoſtoli verba ad Rom. 8: *Nos autem primitias ſpiritus habentes*, non intelligi tantum de Apoſtolis; & quia de omnibus Chriſtianis, vt potè habentibus in vera cognitione, & amore Dei, ſpeque felicitatis æternæ primos fructus ſeu pinguedinem ſpiritus, explicantur à SS. Amb. Anſelm. & Chryſoſt.ſerm. 14 in Epiſt. ad Rom: & quia de omnibus hominibus Græci vidētur exponere, qui eo, quod habeant rationalem ſpiritum, procreatique ſint ad æternam hæreditatem, *primitias Spiritus* dicuntur habere. De inde, quamvis de ſolis Apoſtolis verba intelligantur dicendum eſt, illos hahabuiſſe *primitias ſpiritus*, quatenus ipſi acceperunt prima dona in lege Gratiæ, ſeu novo teſtamento, ad quod, vti nuper diximus S. Joſeph propriè non pertinuit. Demum ſi, vt explicat Gloſſa, de maiori ſpiritus abundantia intelligantur, tum comparatio ſolum erit cum eis, qui tempore Apoſtolorum fuerunt, & poſterius erant futuri, Sanctus autem Joſeph iam ea tempeſtate è vivis exceſſerat.

Quibus ex omnibus clareſcit, nullam eſſe in noſtra concluſione temeritatem, & ad argumentum in

for-

forma reſpondetur negando antecedens cum conſequentia. Ad probationem antecedentis, intellectis textibus Scripturæ iuxta præmiſsũ 2,& 3. diſtinguo verba D. Thom: *apparet temeritas, & temerarium eſt*, vniverſaliter loquẽdo,& abſque vlla exceptione, nego; cum aliqua exceptione, concedo. Ad id quod additur diſtinguo verba D. Thom: *ita neque aliquis Sanctus, &c.* facta diſtributione per omnes omnino Sanctos, nullo excepto, nego, cum exceptione alicuius, concedo, & ad argumentum deductum nego *ſicut* maioris, quia B. Virgo omnes omnino Sanctos abſque vlla exceptione ſuperat; non autem ſic Apoſtoli, iuxta noſtras probationes, & explicationes. Quod ſi argumentum proponatur in S. Joanne Baptiſta, per textus præmiſſo 2. allatos, & illud Eccleſiæ in Hymno. *Non fuit vaſti ſpatium per orbis Sanctior quiſquam genitus Joanne*: intellige eos, & ly *Sanctior quiſquam* cum exceptione, iuxta præm. 1. in fine ex P. Suarez.

Sed contra: locutiones Pauli intellectæ de Apoſtolis, & Patrum, ac Eccleſiæ de Joanne Baptiſta, ſunt vniverſales, & abſque vlla diſtinctione; atqui lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & vbi illa non diſtinguit, nos non diſtinguere debemus, vti conſtat apertis juribus in leg. fin. cod. de Datis, promiſſ. & leg. 1. § *generaliter* ff. de legat. præſtan: ergo illæ locutiones debent intelligi vniverſaliter, & abſque vlla exceptione pro S. Joſeph. Iam hæc inſtantia præoccupata, & ſoluta eſt verbis P. Suarez allatis in concluſione ante proba-

bationem illius: verum vt toti argumento pleniſſimè ſatisfiat, omniſque tollatur ſcrupulus etiam juridice loquendo; Nota: quod vti decrevit Vlpianus in leg. *obligatione generali* ff. de pignoribus, in generali obligatione rerum, quas quis habuit, habiturus ve ſit, non continentur ea, quæ veriſimile eſt, quemquam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe.

Clarius autem ad rem noſtram Imperatores Severus, & Antonius in leg. 1. cod. *quæ res pignori obligari poſſunt, vel non*, ſic ſtatuerunt: *Alumnos tuos & cæteras res, quas, neminem credibile eſt pignori ſpecialiter daturum fuiſſe, generalis pacti conventione, quæ de bonis tuis facta eſt, in cauſa pignoris non fuiſſe, ratio-nis eſt.* Et ibi Gloſſa: *Alumnos, ſcilicet, qui te aluerunt*: ex qua pulcherrima deciſſione hoc pro S. Joſeph efficax argumentum eruitur: in generali conventione non debent intelligi Alumni, qui te aluerunt; atqui S. Joſeph fuit Chriſti Domini Alumnus, eumque vivens ſemper aluit: ergo in generali locutione de alijs, non debet intelligi S. Joſeph comprehenſus, ſed potius excluſus; non enim eſt credibile, voluiſſe Chriſtum Dominum illum includere, & ſic ratio legis ſtat pro Joſeph.

Vlterius: Ex cap. *Sedes Apoſtolica* de reſcript. inferunt Doctores, quod ea, quæ magna ſunt, & notabilia, niſi de eis expreſſa fiat mentio, nulla verborum generalitate includuntur: In cap. etiam *De multa* de præben. inferunt etiam, quod in generali Nobilium mentione non veniunt Illuſtres Perſonæ, in dignitate maxima conſtitutæ, vt Duces, Comites,

mites, &c. nam in eis, & in eorum ſtatu, dignitate, & honore peculiaris ratio invenitur, vt non comprehendantur niſi de eis fiat expreſſa mentio: & ſic tradũt Matthæus de Afflictis; deciſſ. 265, alijque, quos citat, & ſequitur Gutierrez lib. 3. practicæ, q. 16. n. 51. 52. & 53. ſubſumo; Atqui S. Joſeph fuit ſuper omnes puros homines nobiliſſimus, nam ex vi deſponſationis cum B. Virgine fuit Rex totius vniverſi, & Rex Sanctorum omnium, vt Maritus Reginæ; & ex deſcendentia per lineam rectam virilem à Davide Rege, futurus erat Rex Judæorum iuxta dicenda diſſ. 6. ſec. 1: ergo in eis regulis, ſeu locutionibus generalibus, in quibus S. Joannes, & Apoſtoli omnibus Sanctis præferuntur, non cõprehenditur S. Joſeph, ſed debet excipi. Hinc ad inſtantiam in forma, diſtinguo minorem: generaliter debet intelligi, exceptis illis, qui ab ipſo jure excipiuntur, concedo; aliter, nego. Atque hucvſque dicta ad argumentum & inſtantiam deſerviunt etiam pro vlteriori probatione concluſionis noſtræ.

Argumentum ſecundum: Gratia novi Teſtamenti maior eſt, quam Gratia veteris: ergo Sancti novi Teſtamenti ſuperant in Sanctitate Sanctos veteris; Atqui Apoſtoli ſunt Principes inter Sanctos novi Teſtamenti: ergo comparando maximum cum maximo, ſuperant in Sanctitate Sanctos veteris Teſtamenti, ideoque illos S. Thom. varijs in locis præfert Moyſi, Abrahæ, Iſaac, & Jacob; ſed S. Joſeph pertinet ad vetus Teſtamentum, nam ante Chriſti mortem vita exceſſit: ergo ſuperatur ab Apoſtolis

in Sanctitate. Nota: quod vti præmiſſo 3. præcedentis argumenti diximus, S. Joſeph neque ad vetus, neque ad novum Teſtamentum propriè pertinuit, ſed immediatè ad Authorem vtriuſque propter miniſteria attingentia vnionem hypoſtaticam; ac pro inde licet Apoſtoli ſuperent in Sanctitate Sanctos veteris teſtaméti, non tamen S. Joſeph. Hinc diſtinguo primum conſequens, ſuperant Sanctos veteris, qui propriè veteris ſunt, concedo; qui propriè non ſunt veteris, neque novi, nego, & ſimiliter ſecundum conſequens, & nego ſecundam minorem ob dicta in notatione.

Sed contra: quia D. Tho. lec. 3 ſup. cap. 11. Epiſt. ad Rom. ait: Paulum comparare Patriarchas radici; Apoſtolos vero pinguedini olivæ, ac proinde, hos excedere illos, ſicut olivæ pinguedo radicem excedit; atqui S. Joſeph vnus ex Patriarchis fuit: ergo illum excedunt Apoſtoli in Sanctitate ſignificata in olivæ pinguedine. Ad inſtantiam, diſtinguo minorem: vnus ex Patriarchis, de quibus S. Thom. loquitur, nego; vnus ex Patriarchis alterius ordinis, & altioris, concedo, & nego conſequentiam. Etenim S. Tho. loquitur expreſsè de Abraha, Iſaac, & Jacob, qui fuerunt Patriarchæ inferioris ordinis reſpectu S. Joſeph; non vero de S. Joſeph, qui fuit Patriarcha ſuperioris ordinis, nimirum Hypoſtatici propter miniſteria, vnionem Hypoſtaticam immediatè attinentia.

Argumentum tertium: Si S. Joſeph fuiſſet adeo Sanctus, ſemper Eccleſia maximo illum cultu

cele-

celebraſſet; atqui non ita factum eſt, quia feſtum celebracius vſque ad Pontificatum Gregorij XV. celebratum non fuit; imo adhuc nunc minore ſolemnitate, quam alij Sancti colitur: ergo non fuit adeo Sanctus, vt Sanctos omnes in Sanctitate ſuperaverit. Retorqueo: ergo S. Laurentius ſuperat in Sanctitate, non ſolum S. Joſeph, ſed etiam plures Apoſtolos, vt Matthæum, Bartholomæũ, Simonem, Judam, & alios, qui minore ſolemnitate coluntur in Eccleſia. De inde ad argumentum duplex eſt clara, & optimaſolutio. Prima Doctoris Eximij, ſup. dicentis: quod Eccleſia in modo colendi aliquem Santctum, non ſemper innititur maiori Sanctitate, ſed alijs rationibus verbi g. aliqua ſingulari vtilitate, aut maiori fidelium ædificatione. Hacque ſolutione reſpondetur etiam ad argumentum, quod poteſt deduci ex novo decreto, quo (vt dicitur) juſſum eſt, S. Joſeph ſcribi in litanijs maioribus poſt Angelos, & S. Joannem, verum ante Apoſtolos. Secunda P. Señeri; ſup. aſſerentis in principio Eccleſiæ hæreticos fuiſſe, quorum caput fuit Cerintus, qui dicebant, Jeſum fuiſſe verum Filium Joſeph, ſicut fuit verus Filius Mariæ. Inde ne ignorantibus præberetur ança id credendi non celebravit vſque ad hæc poſteriora tempora, in quibus iam ea ceſſavit hæreſis, S. Joſeph, imo tractavit vt vnum ex inferioribus Sanctis: Jam vero in Eccleſia maxima illius celebritas eſt, & pijſſima devotio. Propter has duas rationes ad argumentum in forma, nego illationem maioris, quæ mala eſt.

SEC-

SECTIO IV.

VTRUM SANCTITAS S. JOSEPH tanta fuerit, vt nullum vnquam peccatum veniale admiſerit?

PRO huius novæ quæſtionis reſolutione omnino videndũ eſt ſectione 1. diſſertationis iſtius, præmiſſum ſecũdum. Vltra illud autem, præmitto primo: quod licet peccatum veniale Sanctitatem non excludat, quia cum illa componitur; attamen cum fervorem charitatis diminuat, quo maior eſt Sanctitas, eo magis à peccato veniali recedit. Secundo: quod S. Auguſtinus, qui conſtantius, ac frequentius docet, nullum hominem poſſe vitare omnia peccata, interdum dicit: *Si quis doceat, aliquem fuiſſe, qui non ex viribus liberi arbitrij, ſed ſingulari Gratiæ privilegio illa vitaverit, nec temere, nec perniciosè errare*: vt videre licet lib. de Spir. & Lit. cap. 2. & Epiſt. 95, quam ipſe cum alijs quatuor Epiſcopis Africanis ad Innocentium 1. ſcripſit. Et propter hoc P. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 24. ſec. 4. agens de S. Joanne Baptiſta, & tenens, vt probabiliorem ſententiã aſſerentem, eum aliquãdo peccaſſe venialiter; ait, oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, & nulla cenſura dignam; hancque rem eſſe de illis, quæ ſub opinionem cadere poſſunt.

Præmitto tertio: quod, vti dixi tract. de Incarn. p. 1. diſſ. 4. ſec. 4. cum PP. Suar. Aldret.

Tyrſo,

Tyrſo, Munieſa, & alijs, peccatum veniale ſicut eſt vera, licet levis offenſa Dei, ita eſt contra jus Dei, vera, quamtumvis levis injuſtitia. Ratio autem eſt, quia quicumque facit contra dominium proprietatis alterius, committit injuſtitiam, ſi in materia levi, levem; at, qui peccat venialiter, facit contra dominium proprietatis Dei, qui in Scripturis ſæpe, præcipit, vt Dominus *proprietatis*, dicens, *Ego Dominus*, & iuxta D. Thom: *petit á nobis famulatum iure ſervitutis*: ac per conſequens, quicumque peccat venialiter, committit injuſtitiam, quamvis levem contra Deum. Neque inde infertur, peccantem venialiter, Deum adhuc leviter contemnere, nam de ratione contemptus Dei, eſt poſtponere bono creato illius amicitiam, & poſſeſſionem; quod quidem peccans venialiter non facit; ideoqúe peccatum veniale non poteſt dici *contemptus Dei* adhuc levis, licet ſit offenſa, & injuſtitia.

Præmitto quarto: quod peccatum veniale, aliud eſt *ex ſubreptione*, aliud *ex malitia*, hoc eſt, illud, quod plena libertate, & deliberatione committitur: primum autem, quod ex aliqua inadvertentia, aut ignorantia procedit, ideoqúe quaſi clanculum ſubrepit. Et de peccato quidem veniali *ex malitia* præſertim quæſtio diſcutitur: nam de hoc probabilius eſt, aliquem Sanctum ab eo fuiſſe ſpeciali Gratiæ privilegio liberatum: etenim ab eo probabile eſt, poſt Spiritus Sancti adventum liberatos fuiſſe Apoſtolos; quoniam hoc genus peccati, in modo peccandi ſimile eſt mortali, ſolum que in gravitate,

&

& materia differt, vt bene Dr. Eximius citato loco annotavit. His præmiſſis, non tam aſſerendo, quam relinquendo Doctiorum judicio. Sit.

Noſtra concluſio: Piè, & probabiliter videtur dici poſſe, S. Joſeph in omnibus operationibus ſuis, adeo divina Gratia eſſe præventum, vt nunquam venialiter peccaverit, ſaltem peccato veniali *ex malitia*. Probatur concluſio, quatuor ſatis probabilibus argumentis. Primum ſit: Maior eſt Sanctitas, & dignitas S. Joſeph, quam S. Joannis Baptiſtæ, vti conſtat ex ſectione antecedenti, & ſec. 2. primæ diſſertationis; ſed probabile eſt, S. Joannem Baptiſtam, nunquam peccaſſe venialiter; id enim tenent PP. aliqui referendi, & Galatinus lib. 7. de arcanis, cap. 9. Catharinusque opuſc. 2. de exim. Chriſti, prædeſt: & conſtare videtur ex hymno Eccleſiæ, ibi, *ne levi poſſes maculare vitam crimine linguæ*, per quam facilius peccatur venialiter: ergo probabile eſt, S. Joſeph nunquam venialiter peccaſſe. Aliter: Venerabilis Beda homil. de decollatione S. Joannis, inquit: *Quis noſtrum dicere audeat, B. Joannem actu, vel dicto, vel habitu, vel motu peccaſſe? Quis in eius præcordijs peccato poterat eſſe locus, quem & ante nativitatem Spiritus Sancti conſecravit adventus*. Quæ verba licet intelligi poſſint de peccato mortali, vt P. Suarez intelligit, adeo generalia ſunt, vt etiam veniale excludant.

Euſebius item Emiſſenus, ſerm. 1. de S. Joanne Baptiſta, ſic loquitur: *ſicut vas plenum balſamo admixtionem liquoris alterius reſpuit, & penitus excludit;*

tia

ita in eum nihil ſaecularis macula introire poterat, in quo Sanctificationis plenitudo regnabat. Ex quibus duabus authoritatibus, ſic efficaciter argumentor à paritate: Quia S. Joannem Baptiſtam, *ante nativitatem Spiritus Sancti conſecravit adventus*, & quia in eo *Sanctificationis plenitudo regnabat*, dicitur ab his Patribus conſecutum probabiliter fuiſſe privilegium ſpeciale non cadendi in peccatum veniale; atqui S. Joſeph, *ante nativitatem Spiritus Sancti conſecravit adventus*, & in illo, *Sanctificationis plenitudo regnavit* abundantius, quam in Joanne Baptiſta, iuxta dicta in hac diſſ. ſec. 1. & 3: ergo probabiliter dici poteſt conſecutum fuiſſe privilegium ſpeciale non cadendi in peccatum veniale.

Secundum: S. Joſeph ante omnes canonizatur in Evangelio per nomen *Juſtus*, juſtitia quidem vniverſali complectente juſtitiam ſtrictam, & Sanctitatem omnium perfectiſſimam, iuxta 1, & 2. concluſionem ſectionis præcedentis; ſed Juſtus Sanctitate & juſtitia ſtricta perfectiſſima excludit omnem etiam levem injuſtitiam: ergo S. Joſeph excluſit omnem etiam levem injuſtitiam; ſed peccatum veniale eſt injuſtitia levis contra jus Dei, iuxta præmiſſum 3: ergo S. Joſeph excluſit omne peccatum veniale. Aliter: Qui Iuſtus eſt juſtitia perfectiſſima, probabiliter non eſt adhuc leviter injuſtus; ſed S. Joſeph fuit Iuſtus juſtitia perfectiſſima: ergo probabiliter non fuit adhuc leviter injuſtus; ſed committere peccatum veniale eſt, eſſe leviter injuſtum, iuxta tertium præmiſſum: ergo S. Joſeph probabiliter

non

non commiſit peccatum veniale.

Tertium: poteſt Deus concedere alicui Sancto ſpeciale privilegium conferendi ſemper illi auxilia efficacia, pro vitando omni peccato etiam veniali: ergo potuit concedere tale privilegium S. Joſepho. Eſt clarum; atqui ſi potuit, piè, & probabiliter dici poteſt, illud conceſſiſſe: hoc enim maximè decebat Deum, nam S. Joſeph fuit Pater putativus Vnigeniti ſui, alumnus, qui eum aluit, Sponſus Deigenitricis, & ſimillimus illi in puritate Animæ, quæ omne vitavit veniale peccatum: ergo piè, & probabiliter dici poteſt, Deum conceſſiſſe S. Joſeph privilegium ſpeciale conferendi ſemper illi auxilia efficacia pro vitando omni veniali, ac per conſequens, nunquam illud commiſiſſe. Quartum: Piè, & probabiliter dici poteſt de aliquo Sancto, id, quod cedit in maximam illius gloriam, & neque Scripturæ, neque Concilijs, neque Patribus, neque rationi, opponitur; atqui dicere de S. Joſeph nunquam admiſiſſe peccatum veniale ſaltem *ex malitia* cedit in illius maximam gloriam, & neque Scripturæ, neque Concilijs, neque Patribus, neque rationi opponitur, vt patebit ſolutione argumentorum: ergo piè, & probabiliter dici poteſt de S. Joſeph, nunquam admiſiſſe peccatum veniale ſaltem *ex malitia*.

AR-

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum: ſunt in Scriptura generales locutiones, & regulæ, vt ea: *neminem eſſe qui non peccet*, & ea, *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, aliæque: ergo non poteſt dici probabiliter, aliquem Sanctum nullum peccatum veniale commiſiſſe, ac pro inde, nec S. Joſeph. Nota: quod illæ generales Scripturæ regulæ admittunt certo exceptionem in B. Virgine; & probabiliter in S. Joanne: cur ergo in S. Joſeph eam non admittent? Neque propter hoc deſinent eſſe *vniverſales*, quia cum tale privilegium ſit ſpecialiſſimum, & rariſſimum, reputatur vt parum reſpectu regulæ vniverſalis, adeoque illius vniverſalitatem non impedit. Præterquam quod, cum regulæ illæ comprehendant omne peccatum veniale, tam *ex malitia*, quam *ex ſubreptione*, nihil probant contra nos, qui ſolum de peccato veniali *ex malitia* loquimur. Nunc in forma, diſtinguo antecedens: ſunt generales regulæ admittentes aliquam exceptionem, quæ vt potè rariſſima, non impedit earum generalitatem, concedo; non admittentes, nego. Vel ſi mavis diſtingue aliter conſequens: nullum peccatum veniale ſaltem *ex malitia* commiſiſſe, nego; *ex ſubreptione*, tranſeat.

Argumentum ſecundum: Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23, ait: *Si quis hominem dixerit poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgi-*

ne tenet Eccleſia; anathemaſit. Ex quibus verbis ſic arguitur: Concilium definit, nullum hominem poſſe in tota vita omnia peccata venialia vitare: ergo eſt contra Concilium, & non eſt ideo probabile, S. Joſeph in tota vita vitaſſe omnia venialia. Hoc argumentum duas habet optimas ſolutiones. Prima eſt Eximij Doctoris ſupra dicentis: *Concilium negare quidem, poſſe hominem ſine ſpeciali privilegio, vivere abſque peccato veniali; & affirmare, hoc privilegium datum eſſe B Virgini. An vero alteri conceſſum fuerit, nec affirmat, nec negat.* Nos autem contendimus, probabile eſſe, tale privilegium conceſſum fuiſſe S. Joſeph, ſicut probabile eſt, conceſſum fuiſſe S Joanni. Secunda eſt: quod Concilium loquitur de omnibus peccatis venialibus etiam *ex ſubreptione*; nos autem ſolum de peccato veniali *ex malitia.* Hinc ad argumentum in forma, diſtinguo antecedens: omnia peccata venialia etiam *ex ſubreptione*, & abſque ſpeciali privilegio vitare, concedo; præcisè *ex malitia*, & poſito tali privilegio, nego.

Argumentum tertium: S. Aug. lib. de bono perſev. cap. 2: inter tria dogmata, quæ dicit, Eccleſiam adverſus Pelagianos defendere, ait: *vnum eſt, in quantacumque juſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore, neminem vivere.* S item Cyprianus lib. de opere, & eleemoſynis, ſic loquitur: *Agnoſcamus divinæ indulgentiæ munus ſalubre, & emendandis, purgandiſque peccatis noſtris, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus, inſiſtamus*: & infra: *ſi autem nemo ſine peccato eſſe poteſt, quiſquis ſe in-*

inculpatum dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt. Similiaque habet lib. 3. ad Quirinum n. 56. Tum ſic: ex his Patribus conſtat, neminem poſſe vitare omnia venialia in tota vita: ergo ita eſt, ac per conſequens, S. Joſeph non vitavit. Diſtinguo antecedens, neminem ſine ſpeciali privilegio, poſſe vitare omnia venialia, concedo; poſito eo ſpeciali privilegio, nego: Patres enim iſti, & alij loquuntur, eo modo, quo locutum eſt Tridentinum, indeque ſunt intelligendi, abſque ſuppoſitione ſpecialis privilegij, loqui: loquũtur autem vniverſaliter, quia hoc privilegium eſt rariſſimum, vt iam dixi.

Argumentum quartum: Quidquid dicitur probabiliter, dicitur prudenter; ſed non dicitur prudenter, aliquem hominem non peccare venialiter in tota vita: ergo non dicitur probabiliter, aliquẽ hominem, nimirum S. Joſeph, non peccaſſe venialiter in tota vita. Probatur minor: non dicitur prudenter, accidiſſe, id, quod eſt moraliter impoſſibile; nam tale judicium eſſet imprudens; ſed eſt moraliter impoſſibile, hominem non peccare venialiter in tota vita: ergo non dicitur prudenter, &c. Probatur minor dupliciter: primo ab authoritate nã, S. Hieronymus in dialogis contra Pelagianos, & S. Gregorius lib. 17 moral. cap. 10, alibique, dicunt, quædam eſſe peccata, quæ à Juſtis vitari poſſunt, quædam, quæ non poſſunt. S. item Bernardus lib. de præcep. & diſpenſatione, abſolutè ait: eſſe impoſſibile cuivis mortalium, quin interdum ſaltem venialiter peccet. Tum ſic arguo: Hi Patres non loquũtur de impoſſibilitate metaphi-

ſica,

ſica, aut phiſica vitandi venialia, quia talis impoſſibilitas non datur, alioquin, homo ſine libertate poſſet peccare: ergo loquuntur de impoſſibilitate morali, ac per conſequens eſt moraliter impoſſibile vitare omnia venialia.

Secundo à ratione: quando cauſa libera habet plures durationes, ſeu exiſtit in multis inſtantibus, conſtituta multis libertatibus diſtinctis, tunc ea, licet phiſicè ſit vna, æquivalenter eſt multiplex cauſa libera, & ipſa multitudo cauſæ, diverſitasque, & independentia libertatum fundat moralem neceſſitatem de aliquo peccato veniali in tota vita, ac pro inde impoſſibilitatem moralem, de vitatione omnium in tota vita: ergo eſt moraliter impoſſibile, hominem non peccare venialiter in tota vita. Præmitto ad ſolutionem pulchri argumenti: quod quando aliquid eſt moraliter impoſſibile, datur neceſſitas moralis de oppoſito. Neceſſitas autem moralis, eſt quædam vehemens inclinatio, connexio, & determinatio ſubjecti rationalis ad aliquod extremum, talis vt judicium de eo, quod ponet oppoſitum, imprudens ſit. Sic, quia in matre datur vehemens inclinatio, & determinatio ad diligendum Filium, datur in ea moralis neceſſitas ad dilectionem, & tanta pro inde difficultas ad oppoſitum, vt judicium de eo, foret imprudens.

Attamen ſi ex probabilibus fundamentis conſtet magnam difficultatem, quam ſecum affert moralis neceſſitas, in ponendo oppoſito, victam fuiſſe in aliquo ſubjecto, tunc judicium de oppoſito non

eſt

eſt imprudens,ſed prudens,& probabile: diciturque probabiliter, & prudenter accidiſſe id, quod eſt moraliter impoſſibile, nam victa eſt magna difficultas, in qua ſtat moralis impoſſibilitas. Inde fit,quod cum dentur probabilia fundamenta de eo, quod impoſſibilitas moralis vitādi in tota vita omnia venialia, ſaltē *ex malitia*, victa fuerit in S.Joſeph,probabiliter,& prudenter dicitur, ea vitaſſe. Fundamenta autē ſunt probationes concluſionis, & ſpeciale privilegium habendi ſemper auxilia efficacia ad omne veniale vitandum. Hinc ad argumentum in forma, diſtinguo minorem: non dicitur prudenter, &c. ſi non probetur ſpeciale privilegium,concedo, ſi probetur,nego. Et diſtinguo maiorem probationis: non dicitur prudenter, accidiſſe, id, quod eſt moraliter impoſſibile, ſi ea impoſſibilitas moralis ſupponatur victa, nego; ſi non, concedo: & ad duplicem minoris probationem, conceſſo vtroque antecedenti, diſtinguo vtrumque conſequens: eſt moraliter impoſſibile, &c. & ea impoſſibilitas moralis fuit victa in S. Joſeph, concedo; & non fuit, nego.

Argumentum quintum: etiam poſt Apoſtolatum, & confirmationem in gratia,plenitudinemque Spiritus Sancti, aliquando peccaverunt venialiter Apoſtoli: ergo non eſt dicendum de S. Joſeph fuiſſe magis privilegiatum;ſeu nunquam venialiter peccaſſe. Antecedens conſtat ex Paulo ad Galat. 2. aſſerente, S. Petrum fuiſſe reprehenſibilem, & peccaſſe ait S. Auguſtinus homil. 43.Iuxta dicta præm. 4.ſectionis infine exP.Suarez,diſtinguo antecedens:

ali-

aliquando peccaverunt venialiter, *ex ſubreptione*, concedo; *ex malitia*, nego: & ſic explicãdus eſt Paulus, S. que Auguſtinus, nihilque in argumento contra nos. Si autem mavis, conceſſo antecedenti cum probatione, nego conſequentiam, quia cum Sanctitas, & Dignitas S. Joſeph, ſuperent Sanctitatem, & dignitatem Apoſtolorum, iuxta toties latè dicta; quid mirum, quod etiam in hoc ſpeciali privilegio S. Joſeph eos ſuperet?

Argumentum ſextum: Non eſt minus generalis ea regula, *Nemo eſt, qui non peccet*, quam iſta: *Omnes in Adam peccaverunt*; ſed illa admittit exceptionem in S. Joſeph: ergo & hæc, ac per conſequens S. Joſeph non fuit conceptus in originali, quod falſum eſt. Vel ſi hæc regula non admittit in S. Joſeph exceptionem, cur illa admittet? Reſpondeo ad interrogationem, & ad argumentum negando conſequentiam, & eſt clara diſparitas: quia iuxta dicta in hac diſſ. ſec. 1. præm. 1. de fide eſt, omnes homines, excepta ſolum B. Virgine, concipi in peccato originali, ideoque ab hac regula nequit excipi S. Joſeph: Aſt de fide non eſt, nulli alij, præter B. Virginem conceſſum fuiſſe ſpeciale privilegium nunquam peccandi venialiter; Tridentinum enim: *an alteri conceſſum fuerit, nec affirmat, nec nega*, vti ait Eximius Doctor arg. 2, relatus: indeque à prima regula probabiliter excipitur S. Joſeph. Atque ex his omnibus ſolutionibus clarè conſtat, aſſertionem noſtram, neque Scripturæ, neque Concilijs, neque Patribus, neque rationi, opponi, ac per conſequens

eſſe

eſſe probabilem. Conſtabit autem amplius hoc ſolvendo aliud argumentum, pro cuius ſolutione ſit.

SECTIO V.

AN S. JOSEPH ALIQUAM SUSPIcionem, aut dubium habuerit contra Beatiſsimæ Virginis puritatem?

ADverſus concluſionem, ſectione præcedenti ſtatutam reſtat difficile argumentum, quod in hunc modum proponitur. S. Joſeph videns gravidam Mariam, *Cum eſſet Juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*: ergo habuit aliquam ſuſpicionem, vel dubium contra Beatiſſimæ Virginis puritatem; ſed talis ſuſpicio vel dubium, attentis omnibus circunſtantijs iam referendis, nequit excuſari à peccato veniali: ergo S. Joſeph aliquod peccatum veniale admiſit. Cui vt difficultati ſatisfiat, hæc quæſtio inſtituitur, & pro reſolutione illius. Præmitto primo: quod *ſuſpicio* eſt aprehenſio alicuius fundamenti debiliter inclinantis ad judicium de re, circa quam eſt ſuſpicio. Aliqui autem Authores, vt PP. Ramirez, & Marin, cenſent, ſuſpicionem ſtare in judicio de exiſtentia fundamenti inſufficientis. *Dubium* autem, ſeu melius *dubitatio*, conſiſtit in carentia judicij de re dubitata conjuncta cum apprehenſione ſuaſiva debilitatis fundamenti.

At-

Atque in hoc ſenſu ſumitur dubitatio *negativè*. Si enim ſumatur *poſitivè*, ſtat vel in dicta apprehenſione ſuaſiva; vel in iudicio de eo, quod non datur fundamentum ſufficiens ad iudicandam determinatè rem. Deinde *Admiratio* eſt quoddam iudicium de magnitudine rei, quo fatemur, rem eſſe præter noſtram expectationem, atque etiam confitemur noſtram inſufficientiam ad eam rem, ignorantiamque cauſæ, & modi illam faciendi. *Judicium*, denique *temerarium* eſt aſſenſus de aliqua re contra proximum ex levibus indicijs; ſi enim indicia gravia fuerint, & violenta, temeritas ceſſabit, vti collegitur ex D. Tho. 2.2. q. 60. art. 3. corpore, & de tali judicio quæſtio non procedit; certum enim eſt, S. Joſeph, vt pote Juſtum, nihil temerariè judicaſſe contra puritatem Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Mariæ. Solum igitur procedit de ſuſpicione, & dubitatione, an eas S. Joſeph habuerit?

Præmitto ſecundo: quod S. Joſeph habuit plura, & gravia fundamenta, ex quibus colligeret, vti de facto magna probabilitate collegit Mariam gravidam concepiſſe Deum ex Spiritu Sancto. Ex quibus fundamentis tria tantum ſeligo. Primum fuit: nam cum S. Joſeph, & B. Virgo fuerint conſobrini in primo gradu, id eſt, Filij duorum Fratrum, quia S. Anna fuit Soror Jacobi Patris Joſephi, novit, nec ignorare potuit magna miracula, quæ nativitatē Virginis præceſſere, vti expreſsè ait S. Hierony. lib. de Nativit. Mariæ, per hæc verba: *Illud libere confiteor, Sacroſancta Maria initia tanta miracula*

la præceſſiſſe maxima conſecuta fuiſſe. Secundum: nam antequam vellet Mariam dimittere, hoc enim fuit poſt viſitationem; viſitavit cum ea S. Eliſabet, auditque ex ore ipſius Prophetantis, *Benedictus fructus ventris tui*, atque etiam; *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*? Quia vt bene ait, P. Salmeron tom. 3. tract. 30. §. ſed rurſus quæro: *Nunquid Surdus erat vel ſtupidus, aut incredulus, ad hæc in ſpiritu dicta, vel ad canticum Sponſæ ſuæ?* In quibus clarè exprimebatur conceptio Dei in vtero Virginis.

Tertium: quia S. Joſeph noverat Scripturam Iſa. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe*, & confidebat, illam virgam eſſe Mariam, vti expreſsè aſſerit S. Remigius relatus à D. Tho. in cate. aurea ſuper caput 1. Matth: inquiens: *Videbat Joſeph gravidam, quam noverat caſtam: & quia legerat, Egredietur virga de radice Jeſſe, vnde novit Mariam duxiſſe originem: legerat etiam, ecce virgo concipiet, non diffidebat hanc prophetiam in ea eſſe implendam.* Et impleta quidem eſt, nam in deſponſatione cum Beata Virgine Maria, Arida Virga in manu Joſeph effloruit, vt dixi diſſ. 2. ſec. 1. præm. 2. Virga autem Maria fuit, & fuit in manu Joſeph, quia ei per matrimonium erat tradita; fuit etiam arida, quia attenta lege conjugij futura erat infœcunda: quod vero ſine humore refloruit, demonſtravit, non oportuiſſe excoli opera viri, vt inde Nazarenus, id eſt floridus, ſeu flos agri pleni erumperet. Atque hæc omnia, vt potè mundo oculo, & corde propter ſuam puritatem

tem Joſeph, ſatis intellexit. His præmiſſis.

Noſtra concluſio eſt: S. Joſeph nullam ſuſpicionem, aut dubitationem concepit contra Beatiſſimæ Virginis puritatem; ſed ex magna admiratione, ſtupore & timore habitandi cum tam miraculoſa Virgine & Sponſa, ob profundiſſimam humilitatem voluit occultè dimittere eam. Hæc concluſio eſt aliquorum Eccleſiæ Patrum, quorum verba iam dabimus; Atque etiam Doctoris Eximij ſup. diſp. 7. ſec. 2. PP. Maldonado in 1. Matthæ. Marti. del Rio in canti. cap. 1. ſec. 1. §. 2. & aliorum, quos ſequitur P. Morales, tract. 4. lib. 4. n. 22, & tract. 5. n. 23. Probatur igitur prima illius pars, authoritate Patrum: nam Author operis imperfec. in Matth. homil. 1. ait: *O inæſtimabilis Maria Laus, magis credebat caſtitati eius* (nimirum S. Joſeph) *quam vtero eius, plus gratiæ, quam naturæ: conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat: poſſibilius eſſe credidit, mulierem ſine viro poſſe concipere, quam Mariam poſſe peccare.* Atque eadem penè ad literam habet S. Bonav. in ſpeci. cap. 15, in fine. S. item Hierony. in 1. Matth. tom 9. inquit: *Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quod Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans, quod evenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat.* Certo videlicet, aut per aliquam revelationem.

Demum S. Bernard. Senenſis tom. 3. ſerm. de S. Joſeph art. 2. cap. 1. referens tres Patrum, in hoc puncto ſententias, ait: *Tertij vero dicunt, quod vir iſte vtraque parte concuſus, & pro vtraque parte alle-*

 gans,

gans, neutri parti ſimpliciter adhærebat, ſed ſtabat mente attonitus, & ſuſpenſus. Nam ex vna parte erat fortiſsimum argumentum naturæ, ex tumefactione vteri: ex altera parte pugnabant omnia, quæ de Virginis Sanctitate viderat, & audierat, & ex ſtupore vtriſque partis ſimul ſumptæ volebat occultè dimittere eam, tanquam rem ſibi ignotam, & ſuum judicium tranſcendentem. Adhæreo tamen huic ſententiæ tertiæ. Quibus ex authoritatibus arguo ſic: iuxta hos Patres S. Joſeph nil mali ſuſpicari poterat de B. Virgine, ſed ex admiratione, & ſtupore voluit eam dimittere: ergo iuxta hos Patres S Joſeph nullam ſuſpicionem, aut formalem dubitationem concepit adverſus Beatiſſimæ Virginis puritatem. Atque idem etiam ſentiunt alij Patres, vt S. Baſil. hom. de huma. Chriſti generatione, & Theophilatus in 1. Matth.

Probatur iam eadem pars ratione: S. Joſeph habebat ea graviſſima fundamenta, pro B. Virginis Sanctitate, quæ præm. 2. retulimus, ſciebat votum Virginitatis ab ea emiſſum; noverat illius conſtantiam in virtute, quam non facile tanto ſcelere violaret; videbat denique, quod vti ait Buſtos, 4 p. ſerm. 12: *ex facie Virginis egrediebatur quidam ſplendor, tanquam ſi Sol fuiſſet in Lucerna chryſtalli*; atqui attẽtis his omnibus nullam, ſuſpicionem, aut dubitationem concipere poterat S. Joſeph contra Beatiſſimæ Virginis puritatem: ergo non concepit. Vlterius: Argumentum ab inductione, ſeu recta partium enumeratione, bonum & convincens eſt apud Logicos, atque etiam apud Jureconſultos, vt patet leg. Patre-

furio-

furioſo ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni juris, & cap. cum Dilectus de jure patron: atqui facta enumeratione ſtatus B. Virginis, ſeu vitæ vſque ad Chriſti conceptionem non fuit locus, aut modus, quo tantum ſcelus adulterij admitteret; atque id S. Joſeph certo conſtabat: ergo S. Joſeph habuit argumentum convincens, de eo quod non potuerat B. Virgo tantum ſcelus admittere; ſed eo ipſo nullam ſuſpicionem contra eius puritatem concipere potuit: ergo eam non concepit. Minor prima certiſſima eſt: quia B. Virgo triennis ad templum adducta eſt; ibi maximam habuit Sanctitatis opinionem; ex templo abducta ſtatim eſt tradita in matrimonium S. Joſeph; breve poſt tempus individuo ſemper comite Joſeph viſitavit Eliſabet, in cuius domo ſanctitas habitabat, & operata ſunt altiſſima myſteria: ergo facta enumeratione, &c.

Probatur iam ſecunda pars concluſionis, ex S. Bernard. hom. 2. ſup. *Miſſus eſt*, inquiente: *Quare Joſeph voluit dimittere eam? Accipe, & in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Joſeph voluit dimittere eam, propter quod, & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens Lucæ 5: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Propter quod & Centurio à Domo ſua eum prohibebat, cum diceret Lucæ. 7. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Ita ergo & Joſeph indignum, & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe A tali, & a tanta non debere ſibi vltra familiare præſtare conturbenium, cuius ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem. Videbat, & horrebat divinæ præſen-*

ſentia certiſsimum præſtantem inſigne : exhorruit nimirum Joſeph huius tanti miraculi novitatem, myſterij profunditatem, & ideo occultè voluit dimittere eam : ergo ex S. Bernardo, imo *ex Patrum ſententia* vt ipſe ait, S. Joſeph ex admiratione, & ſtupore ob profundiſſimam humilitatem voluit dimittere Mariam.

Probatur eadem pars ratione : in hoc, ipſo Evangelio, in quo dicitur, voluiſſe S. Joſeph Mariam dimittere, redditur hæc tantum ratio, *cum eſſe Juſtus*;atqui in iſto textu *eſſe Juſtum* eſt formaliſſimè *eſſe humilem* : ergo ex ipſo Evangelio S. Joſeph voluit dimittere Mariam propter humilitatem. Probatur minor : nàm vnus ex Principibus Sacræ Scripturæ expoſitoribus, P. ſcilicet, Alphonſus Salmeron noſtræ Societatis ſic interpretatur tom. 3. tract. 30, dicens : *Atque ita intelligo hoc verbum, Joſeph autem vir eius, cum eſſet Juſtus, id eſt humilis, ac demiſſe, modeſtèque de ſe ſentiens. Veluti cum Chriſtus Matth. 3. Joanni reſpondit : ſic nos decet implere omnem juſtitiam : Per juſtitiam humilitatem intellexit : illamque quaſi deliquiſſet vt cæteri peccatores in actu ſuſcipiendi Baptiſmi manifeſtè indicavit* : ergo in iſto textu, *eſſe Juſtum* eſt *eſſe humilem*, & ſic ratio dimittendi Mariam aſſignata in Evangelio eſt, *quia erat humilis.* Nunc vero ex hucvſque dictis facile ſolvitur argumentum initio propoſitum, negando conſequentiam illius.

Sed contra primo : quia in ipſo Evangelio dicitur, noluiſſe S. Joſeph *eam traducere*, loquendo nimirum de traductione judiciali per adulterij accuſa-

ſationem, vel ſaltem de traductione ad Sacerdotem pro Zelotypia; atqui hoc non poterat facere, *cum eſſet Juſtus* abſque vehementi ſuſpicione contra Mariæ puritatem: ergo habuit talem ſuſpicionem. Nego interpretationem verbi *traducere* poſitam in antecedenti, quoniam glorioſiorem Mariæ, & Joſeph judico âcutiſſimam intelligentiam illius verbi, quam loco nuper citato affert, & ſequitur Pater Salmeron, inquiens: *Propterea Joſeph manendo cum ea, putabat ſe verè eam traducere, quod exiſtimaretur neceſſario corrupta, & a ſe cognita.* Vnde *noluiſſe* Mariam *traducere*, fuit, *noluiſſe* eam *inhonorare*, quod ipſe manens cum ea ex profundiſſima humilitate, ſe facere iudicabat.

Contra ſecundo: quia in eodem Evangelio, Angelus Joſepho dixit, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*: in quibus verbis conatus eſt placare S. Joſeph, & quietum reddere, ne adulterium ſuſpicaretur, manifeſtando illi, quod Maria de Spiritu Sancto conceperat: ergo S. Joſeph ſuſpicatus fuerat adulterium. Nego explicationem textus, in quo pro nobis eſt clara ſolutio, ibi *noli timere*, vbi Angelus excuſſit à S. Joſeph timorem, ratione cuius nolebat Mariam accipere, quia ob humilitatem timebat cum tam miraculoſa Virgine habitare. Solutio autem eſt P. Salmeron. ſup aientis: *Non dixit: noli ſuſpicari. Quod profecto dixiſſet, ſi animo ſuo adulterij ſuſpicio aliqua inſediſſet: ergo timor reverentiæ plenus; non autem adulterij ſuſpicio, cauſa erat, Vxorem non ac-*

ci-

cipiendi ſuam. Quod ſi in hymno S. Joſeph dicitur, *Dubio tangeris anxius*; id non intelligendum eſt de dubio contra Mariæ puritatem; ſed de carentia Judicij certi circa myſterium.

Contra tertio: S. Joſeph, per nos, agnoſcens ex fundamentis ſupra poſitis Incarnationis myſterium, ſeque indignum habitandi cum tanta Virgine humiliter recognoſcens, *voluit occultè dimittere eam*: ergo ſuperfluè Angelus eum de innocentia Mariæ, & de Incarnationis myſterio certificavit dicens: *quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, contra Scripturam Iſaiæ 48: *Ego Dominus Deus tuus docens vtilia*; & regulam Juris canonici: *Eum qui certus eſt, certiorari vlterius non oportet*, de reg. Jur. in 6. Ad inſtantiam, nego conſequentiam: nam S. Joſeph ante Angeli apparitionem, ſolum certitudine prudentis collectionis, & diſcurſus Incarnationis myſterium agnovit; poſt illam vero cognovit per divinam revelationem, quæ ad certitudinem infallibilitatis neceſſaria fuit, confirmavitque Joſeph in ſuo diſcurſu. Solutio eſt P. Salmeron ſup. Mag. Buſtos, & Theophilacti, cuius hæc ſunt verba: *Ne timeas, hoc eſt, tu quidem times adjungi illi, quia ex Spiritu Sancto concepit; ſed ne timeas accipere. Græce enim illa particula (enim) interdum aſſerentis eſt, tantumdemque valet, ac equidem, ſanè, certè, quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt. Eſtque confirmatio eius, quod ipſe invenerat, & exiſtimarat.* Similiter etiam loquitur Druthmarus, hom. 1. in 1. Matth: *Inſtruitur Joſeph melius ab Angelo de eo, quod ipſe antea ſentiebat de Sancta Maria.*

Con-

Contra quarto: S. Joſeph ante Angeli apparitionem, fundamentis tantum prudentibus, & probabilibus nixus voluit ob humilitatem Mariam non accipere: ergo potius poſt illam nixus infallibilitati divinæ revelationis voluiſſet, eam non accipere; ſed hoc non ita accidit: ergo neque illud. Prima conſequentia patet: quia ſi minor certitudo erat ſufficiens ad dimittendam Mariam: ergo maior certitudo magis ſufficiens erat, nam ſi id, quod minus eſt, ſufficit ad aliquem producendum eff ctum; quanto magis id, quod maius eſt, ſufficiet? Vt habetur leg. fin. juncta Gloſſ. & communi ſententia Doctorum, cod. de his, qui ætate ſe excuſant. Pro ſolutione pulchræ inſtantiæ P. Sanch. tom. 3. de Matrim. lib. 10. de Divor. diſp. 12. n. 36. Nota: quod humilitas veri Juſti, vti erat Joſeph in obedientia præcipuè conſiſtit, iuxta S. Chryſoſt. hom. 3 in Matth. dicentem: *Humilitatis. Summa in eo conſiſtit, ſi voluntas noſtra per omnia divinæ voluntati ſubjecta fuerit:* Inde cum S. Joſeph habuerit præceptum divinum accipiendi Mariam, ibi, *Exurgens autem Joſeph à ſomno fecit, ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Conjugem ſuam*, depoſuit humile dictamen ſuum, vt Deo obediret. Hinc in forma, diſtinguo conſequens: voluiſſet, ſi non obſtaret obedientia, concedo; ea obſtante, nego; & ſic diſtinguitur minor probationis, cum probatione ipſius.

Contra quinto: S. Aug. expreſsè tenet, quod S. Joſeph propter ſuſpicionem adulterij voluit dimittere Mariam: ergo concepit talem ſuſpicionem.

An-

Antecedens conſtat ex ſerm. 16. de Verb. Dom. ibi: *Attende quemadmodum Vir Juſtus Joſeph tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit. Reſtabat itaque certa adulterij ſuſpicio.* Et Epiſt. 54. ad Maced. ibi: *Joſeph cum Virginem nihil aliud quam adulteram credidiſſet, punire noluit:* Similiaque habet ſerm. 15. de divortis; & eamdẽ tenuere ſententiam. S. Amb. de inſti. Virg. cap. 5. Chryſoſt. hom. 26. ſuper Matth. Greg. hom. 54. Hilar. Juſtin. & alij relati à P. Barrad. tom. 1. lib. 8. cap. 5. Præmitto ad ſolutionem: quod quando eſt controverſia de rebus non pertinentibus ad Fidei dogmata, ſed merè opinabilibus; in quibus SS. Patres diviſi ſunt, cuilibet licet ſequi ex illis, vt potè æquali authoritate gaudentibus, quem maluerit.

Atque ita fecit S. Bernard. Senenſis ſupra allatus, qui cum tres Patrum retuliſſet, in hoc puncto ſententias, & primo loco hanc S. Aug. ſecutus fuit tertiam, quæ eſt noſtra concluſio, dicens: *Adhæreo tamen huic ſententiæ tertiæ.* Nos autem quod amplius eſt ipſam ſequimur ſacratiſſimam Virginem, eiuſque puriſſimum Sponſum Joſeph. Maria enim lib. 7. revelat. cap. 25. ſic S. Birgittam allocuta eſt: *poſtquam conſenſi Nuntio Dei, Joſeph videns vterum meum virtute Spiritus Sancti intumeſcere, expavit vehementer, non ſuſpicans contra me aliquid ſiniſtrum, ſed recordatus dicta Prophetarum prænuntiantium Filium Dei naſciturum de Virgine, reputabat ſe indignum tali ſervire Matri: donec Angelus in ſomnis præcepit ſibi non timere, ſed cum charitate mihi miniſtrare.* Et eamdem re-

velationem ſibi factam à S. Joſeph teſtatur ipſa S. Birgitta lib. 6. cap. 59. Hinc ad inſtantiam in forma conceſſo antecedenti, cum probatione ipſius, nego conſequentiam.

Contra ſexto: ſi potuit accidere, quod à nobis dicitur præm. 2. & in probatione concluſionis, potuit S. Joſeph probabiliter cognoſcere viribus naturæ Incarnationem, vt poſſibilem; atqui non potuit, quia in natura adhuc poſt revelationem repugnat cognitio etiam probabilis de poſſibilitate Incarnationis: alioqui poſſibilis eſſet in natura cognitio probabilis de Trinitatis myſterio, contra Theologos: ergo non potuit accidere, quod à nobis dicitur. Ad inſtantiam, nego minorem cum prima probatione, quia tract. de Incarn. p. 1. diſſ. 1. ſec. 3. cum PP. Hurtad. Marin, & alijs defendi, poſſibilem talem cognitionem, non ſolum poſt, verum etiam ante revelationem. Ratio autem applicata S. Joſeph eſt, quia ſi motiva, ſeu argumenta credibilitatis, miracula V. G. & tot hominum conſenſus ſufficiunt ad movendum actũ fidei infallibilem de poſſibilitate Incarnationis, quã faciunt moraliter evidenter credibilem; cur graviſſima motiva, quæ habuit S. Joſeph non potuiſſent movere in eo cognitionẽ de tali poſſibilitate probabilem? Probatio autem ſecunda non vrget, nam P. Borrul de Trinit. diſp. 1. ſec. 3. n. 54. defendit, quod etiam ante revelationem, ſaltem de potentia abſoluta poteſt in natura dari Judicium probabile de Trinitate. Imo neque hoc neceſſe eſt, quia poteſt dici, S. Joſeph non cognoviſſe

In-

Incarnationem faciendam in Perſona Verbi, ſed in Perſona in communi; indeque non ſequitur cognitio Pluralitatis Perſonarum.

DISSERTATIO V.

DE MERITIS, ET GLORIA S. Joſeph.

CVM GRATIA DIGNIFICET MERITA, & ſit ſemen Gloriæ, exactis, quæ ad S. Joſeph mirabilem Sanctitatem ſpectant, diſſerendum nobis eſt de eius meritis, altiſsimaque Gloria, ad quam per Filium ſuum putativum fuit exaltatus.

Sit ergo.

SECTIO I.

VTRUM S. JOSEPH MERUERIT de condigno, aut ſaltem de congruo Paternitatem Dei?

PRæmitto primo: quod meritum definitur, *obſequium factum alteri, quem poteſt ex ſe movere ad alicuius muneris retributionem*: Dividiturque in *condignum*, & *congruum*. Meritum condignum, ſeu *de condigno* eſt illud, quod habet æqualitatem mathematicam virtualem, ſeu virtutis cum præmio, quatenus virtualiter tantum eſt quantum præ-

præmium,& hoc eſt mathematicè tantum,quantum exigit meritum. Hæc eſt D. Thom. optima explicatio. 1. 2. q. 114. art. 3. ad 3. inquientis: *Gratia Spiritus Sancti,& ſi non ſit æqualis Gloriæ in actu; eſt tamen æqualis in virtute: ſicut & ſemen arboris, in quo eſt virtus ad totam arborem.* Et patet ex Scrip. Phs. 125. ibi: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent*: vbi S. Aug. ait: *Quid ſeminamus? Bona opera; opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt.* Meritum congruum, ſeu *de congruo* eſt, quod per quandam proportionem movet ad præmium attenta excellentia, & liberalitate præmiantis Ita D. Thom. ibidem dicens: *Eſt ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis: Videtur enim congruum, vt homini operanti ſecundum ſuam virtutem, Deus recompenſet ſecundum excellentiam ſuæ virtutis.*

Præmitto ſecundo, quod vti dixi tract. de Incarn. p. 2 diſſ. 1. ſec. 5. & de B. Virg. diſſ. 3 ſec. 4: in pura creatura neque reſpectu vnionis Hypoſtaticæ, neque reſpectu Maternitatis Dei poteſt dari meritum condignum. De vnione conſtat, ex omnibus Theologis, quia meritum puræ creaturæ etiam maximum ad ſummum poteſt dignificari maxima Gratia adoptionis, vel ſi velis infinita, & ſic nunquam poteſt eſſe æquale vnioni, & Filiationi naturali Dei, vt eſt evidens. Conſtat etiam de Maternitate: hanc enim nec ipſa B. Virgo potuit de condigno mereri, quoniam non per merita ab ipſa Maternitate, vt potè forma Sanctificante dignificata, alioqui principium meriti caderet ſub meritum, contra

Theo-

Theologos; neque per merita dignificata à Gratia habituali, nam hæc ſunt inferioris ordinis, ac per conſequens inæqualia Maternitati.

Præmitto tertio: quod quæſtio non inſtituitur de meritis S. Joſeph in ordine ad augmentum Gratiæ, & præmium Gloriæ; Certiſſimum enim eſt, ea fuiſſe maxima, quia habuit intenſiſſima Gratiæ auxilia ad opera perfectiſſima, & continua virtutum, præſertim charitatis; habuit quoque plurimas opportunitates, occaſioneſque augendi nimis gratiam, & tum ex familiari converſatione cum Domino, tum ex frequentibus Beatiſſimæ Virginis exemplis ad eximia omnium virtutum opera movebatur. Ac demum Sanctitas eius omnium Sanctorum Sanctitatem ſuperavit, & per conſequens merita, quæ eo ipſo maxima ſuper omnes fuere. Solum igitur quæſtio devolvitur ad dignitatem Patris putativi Dei: vtrum eam de condigno, vel ſaltem de congruo meruerit? Sit ergo.

Noſtra concluſio: S. Joſeph non meruit de condigno Paternitatem Dei; meruit tamen de congruo. Neque aliquem Doctorem pro concluſione citamus, quia nullus quæſtionem excuſſit, imo nec propoſuit. Probatur concluſio, iuxta dicta diſſ. 2. ſec. 3. præm. 1. & 2: Paternitas Dei putativa ſtat in electione per Deum facta in S. Joſeph ad officia Patris Incarnati Verbi, & eſt relatio prædicamentalis ſecundi generis conſiſtens, *in quaſi actione*, nimirum in ſuperioritate Joſeph reſpectu Chriſti; atqui neque illa electio, neque hæc ſuperioritas potuit ca-

dere

dere ſub meritum condignum S. Joſeph: ergo S. Joſeph non meruit de condigno Paternitatem Dei. Probatur minor: nullum meritum S. Joſeph potuit eſſe æquale illi electioni, & ſuperioritati: ergo neque illa electio, &c. Probatur antecedens: illa electio vt potè identificata cum Deo, & illa ſuperioritas, vt potè conſtituta per terminum, ſcilicet Filium Dei, ſunt ordinis divini; ſed nullum meritum S. Joſeph eſt ordinis divini, quia vt potè dignificatum à ſola Gratia habituali, eſt ordinis creati, & inferioris: ergo nullum meritum S. Joſeph, &c. quia meritum ordinis creati nequit eſſe æquale præmio ordinis divini, vti eſt evidens.

Vlterius: in pura creatura non poteſt dari meritum condignum vnionis hypoſtaticæ, & Maternitatis Dei, iuxta 2. præm: ergo in pura creatura, ac pro inde etiam in S. Joſeph non poteſt dari meritum condignum Paternitatis Dei. Probatur conſequentia: ideo in pura creatura non poteſt dari meritum condignum vnionis, & Maternitatis, quia ſunt in ordine hypoſtatico divino, & inæquabili, licet cum inferioritate Maternitatis ad vnioné; atqui Paternitas Dei etiã eſt in ordine hypoſtatico divino inæquabili, licet cũ inferioritate ad vnionem, & Maternitatem: ergo ſicut in pura creatura non poteſt dari meritum condignum vnionis, & Maternitatis, ita neque Paternitatis Dei. Quod vero S. Joſeph eam de congruo meruerit, probatur ſic: Diſpoſitio ſupernaturalis ad donum Gratiæ eſt meritum congruum illius, vt patet in contritione reſpectu juſtificationis

pec-

peccatoris; atqui S. Joſeph actibus ferventiſſimis. Virtutum, ac præſertim charitatis ſe ſupernaturali diſpoſitione diſpoſuit, vt eſſet dignus, qui in Prtrem putativum Dei eligeretur: quod videtur non poſſe negari: ergo meruit de congruo Paternitatem putativam Dei.

Sed contra argues primo: concedendum eſt S. Joſeph id, quod ipſi laudabilius eſt; ſed ipſi laudabilius eſt, meruiſſe Paternitatem Dei de condigno, & non tantum de congruo: ergo dicendum eſt eam meruiſſe de condigno. Diſtinguo maiorem: concedendum eſt S. Joſeph id, quod ipſi laudabilius eſt ſi non repugnet, concedo; ſi repugnet, nego: inde cum iuxta noſtras probationes repugnet in pura creatura meritum condignum Paternitatis Dei, licet illud ex ſe foret laudabilius S. Joſeph, tamen concedendum non eſt. Aliter etiam reſponderi poterat, negando minorem, maiore abſolutè conceſſa; quia licet ex ſe maius ſit meritum condignum, quam congruum; attamen maior eſt Gloria S. Joſeph, quod eius dignitas tāta ſit, vt neque illius merita, licet adeo maxima, eam poſſint æquare: ex quo fit, laudabilius ipſi fuiſſe, quod illam non potuerit de condigno mereri.

Argues ſecundo: ſi Deus opera honeſta S. Joſeph ordinaſſet ad præmium Paternitatis Dei, ex pacto de tali præmio ſub conditione talium operum, illa eſſent meritoria de condigno talis præmij; atqui Deus poterat ita ordinare opera S. Joſeph: ergo dicendum eſt, ita ordinaſſe in Gloriam S. Joſeph, ac per con-

conſequens illum Paternitatem Dei meruiſſe de condigno. Nota: quod licet ad meriti condignitatem *in actu ſecundo*, quæ ſtat in eo quod re ipſa moveat ad præmium æquale, requitirur, velut vltimum complementum Dei ordinatio: hæc tamen non ſufficit ad condignitatem *in actu primo*, ſeu eſſentialem, quia hæc neceſſario requirit æqualitatem mathematicam *Virtutis* cum præmio, iuxta præmiſ. 1. quæ quidem non invenitur in operibus S. Joſeph reſpectu Paternitatis Dei, ſecundum noſtras probationes. Hinc, nego maiorem argumenti.

Argues tertio: Merita, quæ ſunt à Perſona digna præmio, ſunt condigna reſpectu talis præmij; ſed merita S. Joſeph fuerunt à Perſona ipſius digna præmio Paternitatis Dei: ergo fuerunt condignà reſpectu præmij Paternitatis Dei, ac per conſequens eam de condigno meruit. Nota: quod ad operum condignitatem non ſufficit quævis dignitas Perſonæ, ſed dignitas cum operibus præmio æqualibus omnino requiritur, nam præmium operibus correſpondet, & ratione illorum Perſonæ. Hinc ad argumentum in forma, diſtinguo maiorem: quæ ſunt à Perſona digna, quavis dignitate, nego, dignitate cum operibus præmio æqualibus, ſunt condigna, concedo: & minorem: Merita S. Joſeph fuerunt à Perſona digna dignitate conjuncta cum operibus æqualibus Paternitati Dei, nego; digna in alio ſenſu, concedo, & nego conſequentiam.

Argues quarto: Merita, quæ pertinent ad ordinem hypoſtaticum, poſſunt eſſe æqualia præmio or-

ordinis hypoſtatici; ſed merita S. Joſeph, vt potè immediatè excercita circa Perſonam Verbi divini, pertinent ad ordinem hypoſtaticum: ergo ſunt æqualia præmio ordinis hypoſtatici, ſcilicet Paternitati Dei, & ſic S. Joſeph eam de condigno meruit. Nota quod vt merita ſint condigna præmio ordinis hypoſtatici, non ſufficit, quod ad eum ordinem vtcumque pertineant, ſed vltra requiritur quod dignificentur à forma dignificante conſtituta in ordine hypoſtatico: cum autem opera S. Joſeph non dignificentur à tali forma, quia ipſa Paternitas Dei, cum extrinſeca ſit, non eſt forma dignificans: inde licet pertineant ad hypoſtaticum ordinem, non ſunt condigna præmio talis ordinis. Hinc ad argumentum in forma, diſtinguo maiorem: poſſunt eſſe æqualia ſi dignificentur à forma Sanctificante ordinis hypoſtatici, concedo; præcisè quia pertinent ad eum ordinem, nego: & minorem: pertinent ad ordinem hypoſtaticum, & dignificantur à forma illius ordinis, nego; & non ita, concedo.

SECTIO II.

DE ASCENSU IN COELOS, ET EMInenti Gloria S. Joſeph.

TRes hic ſunt quæſtiones diſcutiendæ. Prima: An S. Joſeph reſurrexerit cum Domino reſurgente, & cum eo corpore, &

Anima Cœlos aſcenderit? Secunda: Quem locum, & quantam Gloriam in Empyreo poſſideat? Et pro hac videnda eſt in 1. diſſ. tota 1. ſectio. Tertia: an coronatus ſit in cœlo triplici Aureola, & quarta ei ſuperaddita? Pro quarum deciſione quæſtionum: Præmitto primo: quod quando Chriſtus Dominus reſurrexit, *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* Matth. 27: & ſurrexerunt ad vitam immortalem non iterum morituri, ſed aſcenſuri, vti aſcenderunt, in cœlos corpore, & Anima. Atque ita expreſse tenet S. Tho. 4. diſt. 43. q. 1. art. 3. ibi: *Quia ad hoc, vt verum teſtimonium de vera reſurrectione Chriſti proferrent, congruum fuit, quod vere reſurgerent, ſemper in corpore victuri, in cœlum cum Chriſto aſcendentes corporaliter.* Idemque ſentiunt Remigius in 27. Matth. ac plures Theologi. Et ratio etiam juridica perſuadet. Nam beneficia Principum decet eſſe perpetua, permanentia, & favorabiliter interpretanda, vt ait. Jabolenus leg. 3. ff. de conſtit. Pricip. *Beneficium Imperatoris, quod a divina ſcilicet eius indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè interpretari debemus*; atqui Chriſtus Dominus eſt *Princeps Regum terræ*: ergo eius beneficia pleniſſimè interpretari debemus, ita vt ſint perpetua.

Præmitto ſecundo: quod iuxta graviſſimos Theologos ſecutos Doctorem Eximium. tom. 2. in 3. p. q. 19. diſp. 8. ſec. 2. eodem ordine, quo cap. 1. Jeſus. Maria, & Joſeph nominantur à D. Matth. ibi, *Mater Jeſu Maria Joſeph*, ſedent etiam in cœleſti Gloria, & Dei viſionem participant: in Scriptura enim

enim adhuc ordo nominandi Perſonas non caret myſterio, vti diximus ex S. Hierony. diſſ. 1. ſec. 1. arg. 1. Neque contradicas: S. Lucam cap. 1. ibi: *Invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantem*, poſuiſſe Chriſtum poſt Mariam, & Joſeph; & tamen non licet inferre, occupare in Cœlo locum inferiorem. Eſt enim facilis, & vera ſolutio: quia S. Lucas locutus eſt de Chriſto, non vt glorioſo, ſed vt humili? Vocat enim *Infantem*, & Infans, ſeu parvulus, dicitur humilis, iuxta S. Aug. De inde addit, *poſitum in præſepio*, quod fuit cathedra humilitatis, ideoque eum collocat in infimo loco: hæc autem ratio non militat in Verbis S. Matthæi, cum aliunde pro nobis ſtet ſenſus adeo gravium Theologorum.

Præmitto tertio: quod præter gloriam *eſſentialem*, ſtantem in viſione clara Dei, datur in cœlo aliquibus Beatis alia Gloria *accidentalis*, que vocatur *corona*, *aureola*, ad diſtinctionem Gloriæ eſſentialis, que vocatur *corona aurea*, iuxta illud Exod. 25: *Facies coronam aliam, & ſuper illam alteram coronam aureolam*. Quod ita pulchre quodli. 5. q. 12. art. 24. explicat D Tho. *Cum aureola importet quamdam, & ſingularem excellentiam præmij, neceſſe eſt, quod præſupponat auream, ſicut comparativus ſupponit poſitivum: & hoc figuratur Exod. 25, vbi dicitur: Facies ſuper coronam auream, alteram aureolam.* Et quidem Theologi tres communiter aſſignant aureolas, ſeu decoramenta, ſcilicet *Martyris*, *Virginis*, & *Doctoris;* Hoc autem non tollit, quod aliæ pro alijs Sanctis excogitari poſſint: ſunt enim graves Authores, qui affirment,

ment, religionem profeſſis peculiarem eſſe à Deo concedendam aureolam, vt tradit P. Hieronymus Plati. lib. 2. de bono ſtatus Religioſi cap. 18. prope finem. His igitur præjactis. Sit.

Prima concluſio cum Patribus infra referendis, & Iſidoro Izolano. 4. p. cap. 3. Viguerio de Incarn. cap. 20. Buſtos in Mar. 4. p. ſem. 12. p. 2. P. Barradas, tom. 1. concord. lib. 6. cap. 8, & alijs: S. Joſeph reſurrexit cum Domino reſurgente, & cum ipſo in corpore, & Anima cœlos aſcendit. Probatur concluſio ex S.Bernardi. Senenſi, qui, vti refert. P. Fr. Andreas de Soto Minorita lib. de S.Joſeph cap. 33. noſtram concluſionem Paduæ publicè prædicavit, & ſuper eum tunc deſcendit, & apparuit Crux aurea fulgentiſſima: Hic ergo S. Pater tom.3. ſerm. de S.Joſeph art.3. cap.2. hæc habet: *Piè quidem credendum eſt, quod pyſsimus Filius Dei Jeſus pari privilegio decoravit ſuum Putativum Patrem, ſicut ſuam Sanctiſsimam Matrem, vt ſicut illam aſſumpſit in Cœlum in corpore, & Anima glorioſam; ſic etiam in die reſurrectionis ſuæ Sanctiſsimum Joſephum in die reſurrectionis ſecum: Scriptum eſt enim Matth. 27. Multa corpora Sanctorum ſurrexerunt, &c. inter quos ſuſcitatos piè credendum eſt, quod fuerit Sanctiſsimus iſte Vir Joſeph.* Hucvſque S. Bernardinus.

Joannes item Gerſon Serm. de Nativ. Mariæ conſid. 3. in fine ait: *Recogitet oro pius animus, ſi Joſeph Juſtus, vnus ex illis* (ſuſcitatis in die Dominicæ reſurrectionis) *putandus eſt, qui Mariæ apparuerit Chariſsima Sponſæ, qui eam conſolatus ſit, qui tandem Chri-*

Chriſto in Cœlum aſcendente, ſimul & aſcendit glorificatus, non dubium in anima, ſed an in corpore, neſcio, Deus ſcit. Probatur deinde concluſio ratione: Ideo noſtra concluſio, non teneret, quia de reſurrectione, & aſſumptione S. Joſeph, nihil in Scriptura reperitur expreſſum, ſed hæc ratio non obſtat: ergo tenet concluſio. Probatur minor: quod Chriſtus Dominus in die reſurrectionis primum apparuerit B. Virgini non reperitur expreſſum in Scriptura; ſed hoc non obſtante communis fidelium Eccleſiæ, & Doctorum ſententia fert, primum apparuiſſe B. Virgini, & verbis claris affirmat S. Ambro. lib. 3. de Virgi. inquiens: *Vidit Maria reſurrectionem Domini, & Prima vidit*: ergo pariter hoc non obſtat reſurrectioni, & aſſumptioni S. Joſeph. Ratio autem paritatis eſt: nam ideo dicitur Dominus primo apparuiſſe Mariæ, quia decebat, vt qui alios erat inviſurus, & conſolaturus, primam omnium dulciſſimam Matrem ſuam inviſeret, & conſolaretur; atqui maximè decebat vt Dominus alios reſuſcitans, & in Cœlos ſecum aſſumens, hoc beneficium conferret Nutritio ſuo Patri putativo, qui eum aluerat, portarat in vlnis, & ſe totum eius dicarat obſequio: ergo tenet pro S. Joſeph ratio paritatis.

Secunda concluſio cum Authoribus in probationem afferendis: S. Joſeph ſedet in Cœlo prope Chriſtum Dominũ immediatè poſt Mariam, in altiſſimo Gloriæ Throno collocatus, omneſque alios Sanctos in Gloria eſſentiali ſuperat. Probatur prima concluſionis pars, tum ex dictis præm. 2. tum quia S. Ber-

Bernardinus Senen. tom. 3. art. 2. cap. 1. ait : *Sicut illa Sancta familia, ſcilicet Chriſtus, Virgo, & Joſeph in laborioſa vita, & amoroſa gratia ſimul vixerunt in terris : ſic in amoroſa Gloria nunc, & corpore, & anima regnant in Cœlis.* Pater item Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 8, inquit : *Quanta autem in Cœlo Gloria fulgeat Joſeph, docet Cancellarius his verbis : collocatus eſt a dextris Jeſu, hoc eſt, in potioribus donis, ſuis.* Idem vero Cancellarius Gerſon. ſerm. de Nativ. Mar. conſid. 4. hæc habet : *Profecto ſi non mentiebatur Jeſus, ille proximior videtur collocandus in Cœlis, qui in miniſterio fuit vicinior, obſequentior, atque fidelior poſt Mariam inventus in terris.* Viguerius etiam Granatenſis. de Incarn. cap 20. § 9. dicit : *Joſeph nunc cum B. Virgine ſuper choros Angelorum præmiatur.* Denique Buſtos 4. p. ſerm. 12. poſtquam verba Gerſonis nuper relata memoravit, ſic concludit : *ex quibus patet, quod nullus Sanctus in Cœlis eſt maior S. Joſepho poſt B. Virginem benedictam* : ergo noſtra concluſio authoritate conſtat.

Probatur iam ſecunda pars illius, ex authoritatibus §. antecedenti propoſitis ; atque etiam quia Chriſtus Dominus Joan. 1. dicitur, *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Quibus ex verbis hanc ego efficacem argumentationem conficio : Quo magis quis accedit ad lucem, magis illuminatur lumine lucis : ergo, quo quis magis accedit ad lucem veram Gloriæ, magis illuminatur lumine Gloriæ; atqui nullus Sanctus, præter B. Virginem magis quam S. Joſeph, accedit ad lucem veram Gloriæ Chriſtum :

ergo

ergo nullus Sanctus magis illuminatur lumine Gloriæ; ſed pro maiori illuminatione luminis Gloriæ, maior eſt viſio beatifica ſeu Gloria eſſentialis: ergo S. Joſeph omnes alios Sanctos præter B. Virginem, in Gloria eſſentiali ſuperat.

Demum vtraque ſimul concluſionis pars ratione probatur: Gloria datur ſecundum menſuram Sanctitatis, quia Gratia eſt ſemen Gloriæ; atqui Sanctitas D. Joſeph maior eſt Sanctitate omnium Sanctorum præter B. Virginem, vt diſſ. 4. ſec. 3. latè propugnavimus: ergo Gloria S. Joſeph maior eſt Gloria omnium Sanctorum. Vlterius: Alia eſt claritas Solis, alia Lunæ, & alia ſtellarum, ita vt claritas Solis, alias omnes claritates excedat; atqui alij Sancti ſunt ſtellæ, Sanctus vero Joſeph reſpectu eorum eſt Sol, illi enim vocantur Famuli, & ſervi Dei, Joſeph vero Pater Dei, & Sponſus Mariæ: ergo Claritas S. Joſeph in Cœlo excedit claritatem omnium Sanctorum; ſed talis claritas præcipuè ſtat in lumine Gloriæ, & viſione: ergo S. Joſeph in his excedit omnes Sanctos. Subſumo, ſed quo maiore Gloria gaudet aliquis Sanctus, eo ſublimiorem in Cœlo Thronum occupat: ergo S. Joſeph & ſuperat omnes Sanctos præter Mariam in Gloria eſſentiali, & ſublimiori præ illis ſedet in Throno. Nec omittere mihi licet pro hac concluſione ingenioſum Epygramma; quod ex devoto quodam S. Joſeph Poëta tranſcripſit Izolanus, & eſt huiuſmodi.

Cum ſimilis ſimilem deceat, vntuque ſuperno
Virgo, Parenſque Dei nupſerit alma Joſeph:

Co-

Collige quantus erat merito, quo vicerit omnes,
& fuerit tantum dignus habere decus:
Ac natum curare Dei, genitorque vocari,
Complecti, & ſacro Sæpius ore peti:
Et facile accipies, vt primum Sponſa, ſequentem
In ſuperis Sponſus ſic habet ille locum.

Addendum etiam hic puto alium D. Joſeph exceſſum in gloria eſſentiali reſpectu Cæterorum Beatorum, excepta B. Virgine: quia nimirum adhuc inter vivos degens vero ſimile eſt, quod aliquoties intuitivè vidit divinam eſſentiam. Pro quo aſſerto aliquos, ſuppreſſo nomine, citat Authores P. Franciſcus Garcia libello de devotione S. Joſeph pag. mihi 59. & defendit illud P. Morales lib. 1. trac. 1. n. 14. cum Hieronymo Gratiano. Probatur autem authoritate Eccleſiæ in Hymno ad veſperas ſic cum S. Joſeph loquentis:

Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat,
Palmamque emeritos gloria ſuſcipit:
Tu vivens ſuperis par frueris Deo,
Mira Sorte Beatior.

Ex quibus verbis ſic argumentor: atqui non potuit S. Joſeph *vivens eſſe ſuperis par* in fruitione Dei, nec *mira ſorte beatior*, niſi videndo aliquoties intuitivè divinam eſſentiam vt patet, nam paritas, & maioritas fruitionis Dei à viſione, eiuſque paritate, & maioritate regulatur: ergo aliquoties *vidit vivens* divinam eſſentiam.

Probatur Item ratione aparitate deſumpta: quia S.

S.Aug. Epiſt. 112. cap. 13. tom. 2. Clemens 5. ſtromatum, S. Anſelmus, & D. Tho. 2. 2. q. 175. art. 5. affirmant, S.Paulum Apoſtolũ in ſuo raptu vidiſſe intuitivè eſſentiam divinam: atqui quod cõceditur S.Paulo non videtur negandum S. Joſeph, cum hic iuxta dicta fuerit Sanctior, & propinquior Deo: ergo S. Joſeph aliquoties in hac vita divinam intuitivè vidit eſſentiam. Quando autem id acciderit? Nequit niſi divinando determinari, ideoq́ue de hoc diſputationem omitto.

Sed contra argues primo: nam Joa. 1. ℣. 18. dicitur: *Deum nemo vidit vnquam* ſcilicet in vita mortali: & Apoſtolus 1. ad Thimot. 6. ℣. 16. inquit, *quem nullus hominum vidit*, ſed *nec videre poteſt*: ergo Scripturæ repugnat aſſertum. Nota, quod Heſichius intelligit textum Apoſtoli de viſione corporali, ſeu per oculos corporeos habita, quæ iuxta Theologos repugnat, & de qua nos non loquimur. Pater vero Cornelius Alapide de viſione ſolis naturæ viribus, & non per ſupernaturalem elevationem elicita. Atque eodem modo poteſt explicari S. Joannes, vel etiam (vt alij volunt) de viſione continua, & non de tranſeunte, de qua eſt quæſtio. Hinc, nego conſequentiam, quia aſſertum procedit de viſione ſpirituali, & ſupernaturaliter habita. Secundo argues, ſtante probatione concluſionis, S. Joſeph ad minus S. Paulum in hoc privilegio non excedere. Nego autem aſſumptum, quia dicendum eſt, S. Joſeph vidiſſe Deũ viſione clariori, vt textus Eccleſiæ in rigore verificetur; ait enim *mira Sorte Beatior*. Jam Sit.

Tertia concluſio: S. Joſeph habet in Cœlo tres aureolas *Martyris*, *Virginis*, & *Doctoris*, quartamque aliam, qua dignoſcitur à Beatis, *Pater putativus Filij Dei, & Rex Sanctorum.* Prima huius concluſionis pars de tribus aureolis eſt Iſidori, Izolani 4. p. cap. 4. ſine, quem ſequitur P. Morales lib. 5. tract. 11. n. 24. Probatur igitur primo de aureola *Martyris*: Hæc aureola datur *patientibus perſecutionem propter Juſtitiam*, & datur propter victoriam, quam reportant a Tyrannis; ſed S. Joſeph paſſus eſt perſecutionem propter Chriſtum, qui nobis *factus eſt Juſtitia*, & licet non fuerit occiſſus, mortem pro eo non expavit, victoriamque reportavit, à Tyrannis: ergo promeritus fuit aureolam Martyrij, & hæc illi data eſt. Vlterius: quando S. Simeon vaticinatus fuit paſſionem Chriſti coram Maria, & Joſeph dicens: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, gladius illius vaticinij pertranſivit animam Joſeph, & Martyrem fecit, propter ardentiſſimum amorem erga ſuum Jeſum: ergo promeruit tunc aureolam Martyrij, & hæc illi poſtmodum in Cœlo conceſſa eſt.

Secundo de aureola *Virginis*; hæc datur Virginibus propter virginitatem *moralem* conſiſtentem in non ſola integritate corporis, ſed in propoſito eam ſemper in obſequium Dei ſervandi illæſam; atqui S. Joſeph fuit virgo ſemper, & votum Virginitatis emiſit, quam ad mortem vſque ſervavit illæſam, vti latè probavimus diſſ. 2. ſec. 2. per totam: ergo illi data eſt aureola Virginis. Tertio demum de aureo-

la

la *Doctoris* : ea enim conceditur prædicantibus Chriſtum, alioſque docentibus; atqui S. Joſeph afferens fere ſemper Chriſtum in manibus, eumque alijs oſtendens, licet non Verbo, facto illum prædicavit: immo Verbis ſæpe adventum Meſiæ annuntiavit Ægyptijs, vti loco citato aſſerit Izolanus: ergo illi concedi debuit, & conceſſa eſt Aureola Doctoris. Jam vero ſecunda pars concluſionis breviter probatur: B. Virgo iuxta Eximium Doctorem ratione Maternitatis Dei habet in Cœlo ſpeciale decoramentum, quo dignoſcitur Regina Sanctorum: ergo S. Joſeph ratione Paternitatis Dei habet in Cœlo ſpeciale decoramentum, quo vt Pater putativus Dei, dignoſcatur Rex Sanctorum; atqui tale decoramentum jure dici poteſt *Aureola*: ergo S. Joſeph habet præter tres dictas, aliam aureolam. Ratio autem tam pro Beata Virgine, quam pro S. Joſeph efficax eſt: quia ſi dignitati Martyrij, Virginitatis, & Doctoratus debentur Aureolæ, quare non Aureola ſpecialis debebitur Maternitati, & Paternitati Dei, quæ omnes dignitates creatas ſuperant.

Denique contra duas concluſiones, primam, & tertiam nullum invenio argumentum: contra ſecundam vero opponi poſſunt, ea omnia, quæ nos diſſ. 1. ſec. 1. & diſſ. 4. ſec. 3. latè propoſuimus, & ſolvimus: Recognoſce illa, vt potè hic neceſſario videnda.

* * * *
* * *
* *
*

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE NOMINE, NOBILITATE, ADORAtione, & Patrocinio S. Joſeph.

FINEM TANDEM NOSTRARVM DISSERtationum auſpicio felici attigimus: atque vt eas vniverſas S. Joſeph nomen illuſtret, Nobilitas exaltet, irradiet Adoratio, protegat Patrocinium, de omnibus illis, hac ſexta, & vltima diſſertatione venit agendum. Quo ſanè fiet, vt tractatus hic noſter, quatuor velut fulgentiſſimis Aureolis coronetur ad Gloriam.

SECTIO I.

DE EXCELLENTIA NOMINIS, & Regia Nobilitate S. Joſeph.

DE excellentia huius nominis *Joſeph*, aliqua diximus diſſ. 1. ſec. 1. concl. 2. Pro eis vero, quæ modo tractanda ſunt; Præmittendum eſt ex Ariſtotele 4. Metaph, quod, *ratio, quam ſignificat nomen eſt definitio, quæ deſignat propriam rei naturam*, accedente explicatione D. Thom. 3. p. q. 37. art 2. corp. aientis: *Nomina debent proprietatibus rerum reſpondere*; Authoritateque Juſtiniani Imperatoris, qui §. *eſt*, & *aliud* Inſti. de Donat. inquit: *Conſequentia nomina rebus eſſe ſtudentes.* Inde fit primo:

mo: quod nomina ſapienter impoſita qualia ſæpe Sanctorum ſunt ex Dei diſpoſitione eorum virtutes nobis indicent, & excellentias. Fit ſecundo: quod cum nomen *Joſeph* ſignificet *augmentum*, vel vt ait S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Gen. *Additio Dei interpretetur*, rectè nos excellentiam S. Joſeph ex eius nomine eruimus, cum argumentum ab Etymologia Nominis deſumptum, probabile, vtile, & frequens ſit, vt multis juribus, & Doctoribus centu. 10. probat Everardus. Sit ergo.

Prima concluſio cum Alberto Mag. ſup. *Miſſus eſt*, cap. 48. & noſtra Emin. Cardinali Toleto; ſup. cap. 1. Lucæ: Hoc nomen *Joſeph* ſpeciali Dei diſpoſitione impoſitum fuit Sacratiſſimo Sponſo Mariæ, vt ſignificaret augmentum gloriæ ipſius, & Gloriæ ſuper omnes homines. Probatur prima concluſionis pars, ratione P. Cardinalis Toleti: Sanctis Patriarchis Abrahæ, & Jacob, Principique Apoſtolorum Petro, impoſita ſunt nomina ſpeciali Dei diſpoſitione: ergo idem dicendum eſt de nomine *Joſeph* reſpectu Sacratiſſimi Sponſi Mariæ. Probatur conſequentia: ideo primum propter dona ſpecialiſſima illis Sanctis à Deo collata: nam vti D. Thom. ait, 3. p. q. 37. art. 2. corpor. *Nomina, quæ imponuntur aliquibus divinitus, ſemper ſignificant aliquod gratuitum donum eis divinitus datum*; ſed dona data S. Joſeph, ſcilicet, vt eſſet Sponſus B. Virginis, & Pater putativus Chriſti præcellunt dona illis Sanctis conceſſa: ergo ſi eis impoſita ſunt nomina, ſpeciali Dei diſpoſitione, idem dicendum eſt de S. Joſeph.

Pro-

Probatur ſecunda pars concluſionis: Illa verba Apoſtoli 2. ad Corint. 8: *cuius laus eſt in Evangelio* Sancto Joſeph applicat D. Bonaven. de vita Chriſt. cap. 6, dicens: *verè de S. Joſeph dici poteſt, quod laus eius eſt in Evangelio*; atqui in Evangelio augetur nomen *Joſeph* ad gloriam, & laudem ipſius: ergo nomen *Joſeph* ſignificat augmentum gloriæ Sanctiſſimi Sponſi Mariæ. Probatur minor: Evangelium memorans S. Joſeph glorias, repetit hoc nomen *Joſeph* tredecim clauſulis; ſeptem nimirum in S. Matth: quinque in S. Luca; & vna in S. Joanne; ſed hoc eſt aperte augeri nomen *Joſeph* ad gloriam, & laudem ipſius: ergo in Evangelio augetur nomen *Joſeph*,&c. Probatur quod hoc augmentum nominis ſit in gloriam, & laudem S. Joſeph, elegantibus Verbis Alberti Mag. ſup. *Miſſus eſt* cap.47.aientis: *vt Juſtus apud Deum demonſtretur Joſeph, cuius nomen tanquam in libro vitæ ſcriptum in Evangelio ſignanter exprimitur, vt notus hominibus intelligatur, qui teſtis Virginitatis B. Virgini adhibetur, vt nomen eius dignè in memoriam hominum vertatur, qui in Patrem Dei aſſumitur putativum. Quid clarius?*

Jam vero quod augmentum Gloriæ S. Joſeph ſit ſupra omnes Sanctos, quæ tertia noſtræ concluſionis pars eſt, probatur in hunc modum: Alijs Sanctis partem ſui commiſit Chriſtus Dominus, quoniam S. Joanni Baptiſtæ caput tradidit, vt baptizaretur; alteri Joanni, ſcilicet Evangeliſtæ pectus in vltima cœna; S. Thomæ vulnera in cœnaculo; Magdalenæ pedes in domo Simonis; poteſtatē demum,

&

& Claves Apoſtolo Petro, & ſucceſſoribus eius, & ſic de alijs; atqui Sancto Joſeph multos per annos ſe totum Chriſtus commiſit, videlicet gubernandum, portandum, & nutriendum, quæ maxima fuit Gloria S. Joſeph: ergo augmentum talis Gloriæ fuit ſuper omnes Sanctos, vt de illo poſt B. Virginem verè dici poſſit illud Eccleſiaſtici 4: *vnus eſt, & ſecundum non habet*. Et contra hanc quidem concluſionem nihil, quod opponi poſſit, video; ea propter ad Regiam nobilitatem S. Joſeph procedo excutiendam. Sit igitur.

Secunda concluſio: S. Joſeph ex Regia ſtirpe per lineam rectam virilem deſcendit: adeo vt, attenta deſcendentiæ ratione, futurus fuiſſet legitimus Judæorum Rex. Probatur concluſio: S. Joſeph in Evangelio ſæpius dicitur *Filius David*, vt Matthæ. 1: *Joſeph Filij David*, Lucæ 1: *cui nomen erat Joſeph de domo David*, & cap. 2: *eo quod eſſet de domo, & familia David;* atqui domus, & familia David erat ſtirps Regia: ergo S. Joſeph ex Regia ſtirpe deſcendit, & attenta hac deſcendētia futurus erat legitimus Judæorum Rex. Vlterius: S. Matth. cap. 1. enumerans omnes deſcendentes à Rege David per Salomonem; lineam rectam virilem perducit vſque ad S. Joſeph; ſed omnes illi deſcendentes futuri erant, & plures, fuerunt, Reges Judæorum: ergo talis futurus erat S. Joſeph.

Et concluſionem expreſsè tenuit S. Bernarn. Senenſ. qui tom. 3. ſerm. de S. Joſeph, ita loquitur: *Fuit Joſeph primogenitus de Stirpe Patriarchali, Regali,*

atque

atque Ducali ſecundum lineam rectam. Nam Evangeliſta Matthæus cap. 1. lineam rectam omnium prædictorum Patrum deduxit ab Abraham, vſque ad Virginis Sponſum. Et infra citans S. Hieronymum, & Lyram, proſequitur ſic: *B. Virgo, & B. Joſeph adhuc viventes futuri eſſent ſucceſſores legitimi Regni David, niſi ab Herode, & Alienigenis fuiſſet vſurpatum.* Ex hac autem concluſione conſtat, quod S. Joſeph fuit Nobiliſſimus, & nobiliſſimus inter omnes homines: Quod ſic ex eodem S. Bern. Senenſ. dicendum eſſe probatur, tum ex eis, quæ ſerm. 61. art. 1. cap. 1; tum ex eis, quæ ſerm. de S. Joſeph cap. 1. aſſerit per hæc verba: *Ex ſupra dictis patet, quod per prædictos Evangeliſtas deſcribitur Nobilitas Virginis, & Joſeph, vt Chriſti Nobilitas exprimatur: Fuit ergo Joſeph tantæ nobilitatis, vt quodammodo (ſi liceat dicere) dederit, temporalem nobilitatem Deo in Domino Jeſu Chriſto:* Ego vero ſic efficaciter arguo: Qui aliquomodo dedit nobilitatem temporalem ipſi Deo, nequit nõ eſſe nobiliſſimus inter omnes homines; atqui S. Joſeph aliquomodo dedit nobilitatem temporalem ipſi Deo: ergo fuit nobiliſſimus inter omnes homines.

Tertia concluſio: S. Joſeph, quanvis non eſſet Regio ſanguine ortus, ſed de infima plebe, fuiſſet adhuc Nobiliſſimus, tum quia Pater putativus, & Nutritius Dei, tum quia deſponſatus cum Domina Noſtra Sereniſſima Virgine Maria. Probatur prima concluſionis pars ex jure civili, leg. 1. cod. de Præpoſ. Laborum, ibi: *Qui Prepoſiti laborum noſtro Judicio*

dicio promoventur, clariſsimi ſunt inter electos, ita vt ex Conſularibus habeantur: nam & Immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus Illuſtrat. Et leg. fin. cod. de excuſati. Tutorum, ibi: *Viros clariſsimos Sacri noſtri Palatij ſilentiarios circa latus noſtrum militantes, de Tutelis, & curationibus excuſari Sancimus.* Ex quibus ſic: in ſpecie horum textuum: Qui Regi ſerviunt, comitantur, & ad latus illius militant, quacumque Stirpe nati ſint, ſunt clariſſimi, & Nobiliſſimi; atqui S. Joſeph lateri Regis Regum, & Reginæ Cœlorum ſemper adſtitit, non ſolum vt conſiliarius; verum etiam vt magni conſilij Adjutor fideliſſimus, cui Deus ipſe, & Maria ſubditi fuerunt: ergo quanvis eſſet de infima plebe, fuiſſet Nobiliſſimus, ex eo quod fuit Pater Putativus, & Nutritius Dei.

Probatur eadem pars ratione: Nobilitas cum non ſit aliqua qualitas nobis à natura proveniens, nihil aliud eſt, quam qualitas illata per Principem, qua quis vltra honeſtos plebeios accceptus oſtenditur, vt docuit Baldus ad leg. 1. cod. de. Dignit. & alij Doctores: ergo Princeps aliquem evehens ſupra honeſtos plebeios, illum facit nobilem; atqui Princeps Regum terræ aſſumens ſibi in Patrem putativum, & Nutritium S. Joſeph, eum ſupra omnes Angelos, & homines evexit: ergo fecit illum nobiliſſimum, quia Patrem putativum, & Nutritium ſui, ac per conſequens, quanvis non eſſet Regio ſanguine ortus, &c. Probatur iam ſecunda pars concluſionis: quia, vti iam diximus, S. Joſeph fuit verus Maritus

Reginæ Cœlorum: ergo & Rex. Item: quia omnia, quæ Dei ſunt, ſunt Mariæ, quia Mater illius eſt: ergo omnia, quæ ſunt Mariæ, ſunt Joſephi, quia Sponſus, & vir eius eſt; ſed Mariæ eſt ſupra omnes creaturas ſumma Nobilitas: ergo Joſepho, quia Deſpònſato cum Maria, eſt ſumma Nobilitas, atque etiam eſſet licet ortus fuiſſet ex infima plebe.

ARGUMENTA CONTRARIA.

ARgumentum primum contra ſecundam concluſionem: Per plurimos annos ante Nativitatem S. Joſeph Regnarunt in Judæa Principes de alia Tribu, à Tribu Juda vti fuerunt Machabæi, qui erant de Tribu Levi: ergo iam S. Joſeph amiſerat jus ad Regnum Judæorum; vel ſi non amiſerat, injuſte illud Machabæi poſſediſſent, quod dici nequit, cum fuerint viri juſtiſſimi: ergo S. Joſeph non erat futurus Rex legitimus Judæorum. Ad ſolutionem huius difficilis argumenti, præmitto: quod ſucceſſio in Regno per lineam rectam virilem à Progenitoribus Regibus, non eſt de *Jure naturæ*, quæ omnes homines fecit æquales, ſed de *Jure Gentium*, quod introductum eſt in bonum commune Populorum; propter quod ſæpe regnum, non attenta in aliquibus prædicta deſcendentia, transfertur in alium, qui Regno iudicatur vtilior.

Atque hæc fuit ſententia P. Ludovici Molina noſtræ Societatis, & aliorum Juriſtarum, quos quando in Regno Luſitaniæ ſucceſſit Philippus ſecundus

dus Rex Hiſpaniarum conſuluit. Igitur in noſtro caſu res ita ſe habuit. Poſt vltimam captivitatem venerunt in Judæam Tribus Juda, & Benjamin, relictaque Davidis deſcendentia, elegerunt ſibi ex alia familia Duces, & Principes, quos ad Regni gubernationem Judicarunt ea tempeſtate vtiliores, & inter quos fuerunt Machabæi, qui Regnum pro inde juſtè poſſederunt, amiſerant enim illud Deſcendentes à David. Ob hanc autem rationem conſulto in concluſione diximus, S. Joſeph futurum fuiſſe legitimum Regem Judæorum, *attenta ratione deſcendentiæ*. Hinc ad argumentum in forma conceſſo enthymemate, diſtinguo ſecundum conſequens: non erat futurus Rex Judæorũ, *attento jure Gentium*, concedo; *attenta ratione deſcendentiæ* à Rege David, nego.

Sed contra: quia S. Bernard. Senen. allatus in probatione concluſionis dicit: *Quod B. Virgo, & B. Joſeph adhuc viventes futuri eſſent ſucceſſores legitimi Regni David, niſi ab Herode, & Alienigenis fuiſſet vſurpatum*. Ex quibus ſic: eo ſolum S. Joſeph non erat Rex Judæorum, quia: Regnum ab Herode, & Alienigenis fuerat vſurpatum: ergo S. Joſeph omni jure, ac per conſequens non tantum *attenta ratione deſcendentiæ* futurus erat legitimus Judæorum Rex. Nota: quod S. Bernardinus, vt ex eius verbis conſtat, ſolum attendit ad deſcendentiam S. Joſeph ex David Rege; & cùm hæc permaneret, ſi ab Herode, & Alienigenis non fuiſſet vſurpatum Regnum, ideo dixit, futurum fuiſſe ſucceſſorem legitimum Regni David, *Niſi ab Herode, & Alienigenis fuiſ-*

fuiſſet vſurpatum, præciſè, & nihil aliud de jure Gentium curavit. Hinc ad inſtantiam in forma, nego antecedens, quia etiam attendenda eſt ratio deſcendentiæ, licet præciſè ſumptæ à S. Bernardino.

Argumentum ſecundum: Apoſtolus 1. ad Corint. 1. ait: *Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, ſed ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus.* Ex quibus ſic: Deus iudicavit melius eſſe eligere in Apoſtolos homines ignobiles: ergo judicandum eſt, melius fuiſſe eligere in Patrem putativum Chriſti, hominem ignobilem, ac per conſequens S. Joſeph non fuit adeo Nobilis, vt à nobis dicitur. Nego conſequentiam, & eſt aperta diſparitas: ideo enim Deus homines ignobiles fecit Apoſtolos, ne Gentium converſio, vniverſi ſubjugatio, ſubjectio Regum, & Principum terræ per Chriſti prædicationem, tribueretur non virtuti ipſius Dei, ſed ſapientiæ, & Nobilitati Prædicatorum, ſi forent illi Reges, Nobiles, & Sapientes; At vero conveniens non erat, vt in ſubſtitutum Æterni Patris, Nutritium Divini Incarnati Verbi, & Sponſum Reginæ Cœlorum ignobilis homo aſſumeretur.

Argumentum tertium: qui per ſe ipſum immediatè exercet officium, & miniſterium communiter vile reputatum, vt artem Mechanicam, eo ipſo amittit nobilitatem; atqui S. Joſeph per ſe ipſum immediatè excercuit artem Mechanicam Fabrilem, erat enim *Faber lignarius*: ergo amiſit nobilitatem, quam à David, & alijs Regibus trahebat, ac per conſequens nullo jure erat futurus legitimus Judæorum

Rex.

Rex. Præmitto ad ſolutionem: quod alia eſt Nobilitas ex *privilegio*; alia ex *Sanguine Maiorum*: & prima quidem ob quamlibet fæditatem amittitur; cum ſit adventitia, & quaſi tenui filo pendeat; ſecunda vero non ita leviter arte aliqua, quantumvis ſordida fædatur, & pro inde non eſt ex qualibet cauſa amittenda.

Conſtat id clarè de Nobilibus artes mechanicas excercentibus; hi enim non ideo, quaſi amiſiſſent nobilitatem, cogendi ſunt ad contributionem, & ſolutionem Tributorum: id enim vſuforenſi in Cancellarijs, præſertim in Hiſpania receptum eſſe, teſtis eſt Covarrubi. in prac. q. 19. n. 7. atque etiam Gutierrez tom. 1. pract. q. lib. 1. q. 137. n. 11. Doctorque Azevedo. lib. 6. Recopil. tit. 1. ad leg. 3. ſubdentes exemplum in Fabris lignarijs, de quibus Covarrubias, inquit: *Non ſemel vidimus fabros lignarios, probata ipſorum Nobilitate (quā hidalguiam dicimus) pronuntiari à ſolutione, & contributione ſubſidiorum Regalium immunes.* Hinc ad argumentū in forma, diſtinguo maiorem: eo ipſo amittit Nobilitatem, habitam *ex privilegio*, concedo; *ex ſanguine maiorum*, nego: talis autem fuit nobilitas S. Joſeph Filij David.

Argumentum quartum: Chriſtus Dominus ex Apoſt. ad Philipp. 2. *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*: ergo elegit ſibi maximam humilitatem; atqui ea non eſſet talis, ſi elegiſſet in Patrem putativum eum, qui erat futurus legitimus Judæorum Rex: ergo cum S. Joſeph elegerit, ille non erat futurus legitimus Judæorum Rex, alioqui non

non verificaretur, quod ſuper illud 1: ad Corint. 1: *Non multi Nobiles*, ait Gloſſa, videlicet, *Venit Deus humilis quærens humiles, non altos.* Ad hoc argumentum reſpondet Albertus Mag. ſup. *Miſſus eſt*, cap. 38.quem ſequuntur Buſtos,& Izolanus: quod Chriſtus Dominus non ſemper vſus eſt operationibus exteriorem præferentibus humilitatem; ſæpe enim oſtendit majeſtatem ſuam, iam docendo in virtute, iam miracula patrando, iam à mortuis reſurgendo: quod quidem non minuit eius humilitatem; quare ergo illam minuet, elegiſſe Patrem putativum nobiliſſimum? Quæ quidem ſolutio optima eſt, ideoque iuxta illam, nego minorem ſubſumptam: & ad textum Gloſſæ dic, loqui de Apoſtolis iuxta dicta ad argumentum ſecundum. Vide illud, & etiam diſſ. 2. ſec. 3. §. *Argues tamen primo.*

Argumentum quintum: contra tertiam concluſionem: licet Mulier ignobilis nubens viro Nobili, eo ipſo nobilitetur,quia efficitur de familia Mariti, vt habetur in leg. fin. cod. de Nuptijs, ibi: *Vxor Marito concreſcat, & ſentiat eius fulgorem*: expreſſiusque in leg. fin. cod. de Incolis, ibi: *Mulieres honore Maritorum erigimus, & genere nobilitamus*; attamen non ita accidit, quando vir plebeius ducit Mulierem nobilem, quia potius hæc ſequitur vilem conditionem Mariti: ergo ſi S. Joſeph fuiſſet ex infima plebe, non eſſet nobiliſſimus, quia deſponſatus cum Nobiliſſima Virgine Maria, ſed potius hæc ſequeretur vilem conditionem Joſeph. Probatur antecedens ex leg. *ingenua* cod. de Mu-

ri-

rilegulis, ibi: *Ingenuæ mulieres, quæ Splendorem generis contuberniorum vilitati præferre noluerint, ſuorum Maritorum conditione teneantur*, & in eandem ſententiam ivit Vlpianus, leg. *fœmina* ff. de Senatoribus: ergo non ita accidit, &c.

Præmitto ad ſolutionem cum Baldo in cap. *Significavit* col. 1. de reſcriptis, Decio in leg. ſ. cod. de edendo Rainutio Oſtienſi, & alijs, quos citat, & ſequitur Tiraquel. de Nobilitate cap. 18. n. 1. 2. 39, & 40, quod deciſio legis *ingenuæ*, & ſimilium non tenet, quando Mulier vxor ſit Regina, Duciſſa, aut alia in maxima dignitate, ſeu nobilitate conſtituta, & nubit viro plebeio: hic enim tunc à Reginæ nobilitate illuſtratur: conſtat id ex leg. vnic. cod. de præpoſitis laborum, ibi: *Nam & immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus illuſtrat*; atqui (vt Baldus, bene infert) nulla eſt maior lateritas, quam Viri, & vxoris, qui divino conſortio per eſſentialis matrimonij mutuum conſenſum effecti ſunt vnum: ergo nobilitate vxoris maximæ dignitatis, qualis eſt B. Virgo, Maritus illuſtratur. Hinc, diſtinguo primum antecedens: non ita accidit quando vir plebeius ducit mulierem nobilem, ſi ea ſit Regina, aut alterius maximæ dignitatis, nego; ſi ſit nobilitatis vulgaris, concedo: & ſic intelligitur lex *Ingenuæ*, aliæque concordantes.

SECTIO II.

QUA ADORATIONE ADORANDUS ſit S. Joſeph? Et ad quæ ſe extendat eius Patrocinium?

PRæmitto primo: quod (vti iam notavi lib. de B. Virg. diſſ. 6. ſec. 1.) Adoratio eſt *teſtificatio alienæ excellentiæ, & opinionis, quam de aliquo ſubjecto habemus, conjuncta cum proteſtatione ſubjectionis noſtræ ad illud, vtilitatiſque, aut dominij alicujus ſuper nos.* Quod ſi adoratio detur alicui ſubjecto propter excellentiam divinam, quæ ineſt illi, vocatur *Latria*, & hæc Soli Deo debetur: ſi autem detur propter excellentiam creatam, quæ magis accedit, & participat de divina, appellatur *Hyperdulia*, quæ B. Virgini debetur, iuxta dicta loco citato, concluſ. 3. Demum ſi detur propter excellentiam creatam minus de divina participantem, dicitur *Dulia*, atque hæc debetur omnibus Sanctis. Igitur in præſenti quæritur: An S. Joſeph debeatur *Dulia* in altiori gradu reſpectu Sanctorum omnium?

Præmitto ſecundo: quod poſt Chriſti Domini, & B. Virginis patrocinium, maius eſt omni alia advocatione, & interceſſione pro hominibus Patrocinium S. Joſeph, ita vt nunquam repulſam patiatur. Id Doctor Joannes Echius hom. 2. de S. Joſeph ita pulchre expreſſit: *Vſque adeo mutua illa Joſephi cum Domino Jeſu, & Virgine Maria converſatio immen-*

menſam eius arguit Sanctimoniam, & dignitatem; vnde ſperare liqueat, quod quidquid, Filium ſuum Chriſtum rogaverit Joſeph, vel etiam conjugem dilectiſsimam Mariam, eius rei repulſam paſſurus ſit nunquam. Atque etiam pijſſimus Izolanus, qui 3. p. cap. 19, inquit: *Mortalium inter Patronos apud Deum arbitror D. Joſeph eſſe efficaciorem, ac poſt B. Virginem Reginam præſtantiorem.* Inde vt noſtra ad Cœlos aſcendat oratio, optima Schala eſt à Joſeph ad Mariam, â Maria ad Jeſum, à Jeſu ad Patrem: quid enim negabit Maria Joſeph, oſtendenti ei Callos, & dura, quæ pro ea perpeſſus eſt? Quid Jeſus Mariæ, monſtranti pectus, & vbera, quibus illum pavit? Quid Demum Pater Jeſu proferenti cicatrices, & vulnera, quæ accepit pro eius obedientia?

Ex quo deducitur: quod vis Patrocinij S. Joſeph magna eſt: Primo: quia cum ſit Pater putativus Dei, & Sponſus Mariæ non petit rogans, ſed quodammodo imperans: ſic ſenſit Gerſon. ſerm. de Nativ. Mariæ dicens: *Ita Mariæ meritis, & interceſſione, tanti, tamque potentis, & Imperioſi Joſeph, & (ſi fas eſt dicere) quodam iure Jubentis, Eccleſia reddatur vnico viro, &c.* Secundo: quia S. Joſeph plures titulos, & actiones ad quidvis impetrandum poteſt proponere: & certi juris eſt, quod quo plures quis habet actiones ad petendum aliquid, & vendicandum, eo efficacius ius habet ad illud obtinendum; poteſt enim ſimul, vel diviſim eis in judicio vti, & finita vna, aliam excercere iuxta leg. *Non eſt novum* ff. de acti. emp. & leg. *hæredes*, §. *pluribus*, ff. fami.

Herſiſc. atque vtriuſque juris regulas, leg. *Nemo ex his* ff. de reg. jur. & regulam *nullus pluribus*, de reg. jur. in 6. quæ quidem omnia cum certa ſint, ſolum quæritur in præſenti: An Patrocinium S. Joſeph ſit vniverſale, ita vt nihil ſit, ad quod non extendatur? Sit igitur.

Prima concluſio: S. Joſeph adorandus eſt, Adoratione *Summæ Duliæ*. Hæc concluſio eſt Sapientiſſimi P. Cornelij Alapide in Evang. ad cap. 1. Matth. verſ. 16. aientis: *Vna in terris digniſsima, imo Cœleſtis, & divina erat familia, in qua Paterfamilias, ideoque Præſes, & Rector erat Joſeph, Materfamilias B. Virgo, Filius vero Chriſtus. In hac igitur erant tres ſummæ, & excellentiſsimæ totius orbis perſonæ. Prima Chriſtus vt potè Deus, & homo: Secunda Virgo Deipara Chriſto conjunctiſsima, quaſi Mater naturalis: Tertia Joſeph, quaſi Pater Chriſti matrimonialis. Hac de cauſa Chriſto debetur cultus adorationis, & Latriæ; B. Virgini hyperduliæ, Joſepho ſummæ duliæ.* Et quamvis tantus Author ad probationem concluſionis ſufficiens erat; Probatur tamen: Adoratio Duliæ debita Sanctis habet pro motivo excellentiam participationis divinæ Naturæ per Gratiam habitualem: ergo ille Sanctus, in quo hæc participatio fuerit ſumma, adorandus erit *ſumma Dulia*; atqui in S. Joſeph hæc participatio eſt ſumma reſpectivè ad omnes alios Sanctos, tum propter maiorem conjunctionem cum Deo, tum quia illos excedit in Sanctitate, iuxta diſſ. 4. ſec. 3: ergo S. Joſeph adorandus eſt, adoratione *ſummæ Duliæ*.

VI.

Vlterius: Joſeph Patriarcha, Typusque S. Joſeph de ſe dicit Gen. 37. verſ. 9: *Vidi per ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim, adorare me.* Et quidem Joſeph Patriarcha fuit in figura noſter Joſeph: Sol eſt Chriſtus, ibi, *orietur vobis Sol juſtitiæ*; Luna Maria, ibi: *Pulchra vt Luna*; (Stellæ vndecim, Patriarchæ, ſeu Principes Populi) electi à Deo, nimirum Sanctorum omnium. Tum ſic: Ille Sanctus, quem Chriſtus honorat, vt Patrem, Maria veneratur, vt Sponſum, Principesque Sanctorum adorant, vt Regem, adorandus eſt adoratione aliqua ſupra *Duliam*; atqui præter *Latriam*, quæ debetur Chriſto, & *Hyperduliam*, quæ debetur Mariæ, non eſt ſupra *Duliam* alia adoratio, niſi *Summæ Duliæ*: ergo talis Sanctus adorandus eſt adoratione *Summæ Duliæ*; ſed talis Sanctus eſt Sanctus Joſeph: ergo Sanctus Joſeph ea adoratione *Summæ Duliæ* adorandus eſt.

Hinc deduces: quanta debeamus omnes proſequi veneratione S. Joſeph. Primo: quia ſi Rex aliquis hominem etiam infimè ſortis publicè honoret, collocetque cum Principibus populi ſui, omnes adhuc Magnates penè adorant illum; atqui Rex Regum nobiliſſimum Joſeph publicè honoravit appellans *Patrem*, collocavit cum Cœli Principibus, imo *fuit ſubditus illi*: ergo omnes debemus ſumma eum veneratione proſequi. Secundo: quia vt honoraret Pharao Joſeph Patriarcham, præcepit. Gen. 42: *Vt clamante præcone, omnes coram eo genuflecterent.* Ad quæ verba P. Oſſorius ſerm. 1. de S. Joſeph, inquit:

Om-

Omnes ergo genufleɛtere debent coram hoc noſtro Joſepho, multo pottori ratione, quam coram Joſepho Patriarcha, & quod amplius eſt, P. Morales lib. 3. tract. 8. 45. ait: *Jeſus genu aliquando, tanquam Filius humillimus Patri amantiſsimo flectebat.* Quæ cum ita ſint, quid mirum, quod à nobis ergi S. Joſeph adoratio *Summæ Duliæ*, omniſque puræ creaturæ proportionata veneratio exigatur?

Argues tamen contra concluſionem: Adoratio ſummæ duliæ, eſt adoratio ſuper duliam; ſed adoratio immediata ſuper Duliam, eſt Hyperdulia: ergo ſi S Joſeph adorandus eſt adoratione Summæ Duliæ erit adorandus Hyperdulia; atqui hoc eſt falſum, quia ſolum B. Virgo eſt tali adoratione adoranda: ergo & illud. Nota: quod non eſt idem *Summa dulia*, ac *hyperdulia*: hæc enim ſolum debetur Perſonæ habenti cum Deo maximam conjunctionem, qualem ſolum habet B. Virgo, quia eſt eius Mater naturalis; & debetur propter excellentiam participationis divinæ naturæ, conſiſtentem in forma Sanctificante excellẽtiori omnibus alijs, excepta tantum vnione, qualis eſt Maternitas Dei, iuxta dicta lib. de B. Virg. diſſ. 2. ſec. 4. Dulia vero ſumma ſolum eſt propter participationem divinæ naturæ, ſtantem in gratia habituali, qualem tantum habet S. Joſeph quia Paternitas Dei putativa non eſt forma formaliter Sanctificans, ſicut eſt Maternitas: Dicitur autem *Summa*, quia excedit omnem adorationem aliam duliæ. Hinc in forma, nego minorem, quia inter duliam, & hyperduliam mediat *Summa* dulia; atque

etiam

etiam conſequentiam, propter dicta in notatione.

Verum hic opportunè rogabis: An tanta veneratio debeatur potius S. Joſeph ratione paternitatis Dei, quam ratione deſponſationis cum Maria, vel è contra? Quod idem eſt, ac rogare, ratione cuius ſit maior S. Joſeph dignitas? Ratione Paternitatis? An ratione deſponſationis? Cui quidem curioſæ quæſtioni breviter reſpondetur: quod S. Joſeph dignitas maior eſt ratione Paternitatis Dei, quam Deſponſationis cum Virgine. Ratio autem eſt; quia maior eſt Chriſtus, quam B. Virgo: ergo eſſe Patrem licet putativum Chriſti eſt altioris ordinis, quam eſſe verum Sponſum Mariæ; ac per conſequens maior eſt dignitas S. Joſeph ratione Paternitas Dei. Vlterius: Electio S. Joſeph, maxima dona Gratiæ ei conceſſa, atque ipſa etiam deſponſatio cum Maria fuerunt media ordinata ad myſterium Incarnationis, vt ſcilicet Chriſtus haberet dignum Tutorem, & ſuæ carnis Nutritium: ergo ea omnia ordinata fuerunt ad Paternitatem Dei tanquam ad finem; ſed eo ipſo hæc eſt maior dignitas, quam ea omnia, in quibus deſponſatio cum Maria includitur: ergo eſt.

Contra tamen argues: Id quod eſt *per ſe* debet præferri ei, quod eſt *per accidens*; atqui eſſe verum Sponſum Mariæ, eſt quid abſolutum, & *per ſe*: eſſe vero Patrem putativum Chriſti, eſt quid reſpectivum, & *quaſi accidentale*: ergo eſſe verum Sponſum Mariæ, debet præferri ad eſſe Patrem putativum Chriſti, ac per conſequens maior eſt dignitas deſumpta à Deſponſatione cum B. Virgine, quam à

Pa-

Paternitate putativa Dei. Nota: quod ſi id, quod eſt *per accidens*, quaſi accidentale, & reſpectivum, ſit altioris ordinis, quam id, quod eſt abſolutum, & *per ſe*, ſemper debet huic præferri, quia nunquam ab eo poteſt æquari, quanto minus excedi: ſic licet vnus gradus Gratiæ ſit quid accidentale, ſeu accidens, & Angelus ſit ſubſtantia abſoluta, ſpiritualis, completa, ſemper hinc exceditur ab illo gradu, qui eſt altioris ordinis, videlicet ſupernaturalis. Hinc in forma, diſtinguo maiorem: debet præferri ei, quod eſt per accidens, ſi hoc ſit altioris ordinis, qualiter eſt Paternitas Dei, nego; ſi non ſit, tranſeat; & ſic intelligitur minor. Iam vero pro S. Joſeph Patrocinio, ſit.

Secunda concluſio: Patrocinium S. Joſeph eſt adeo vniverſale, vt ad omnes Eccleſiæ ſtatus, cunctasque neceſſitates ſe extendat. Hæc concluſio eſt Doctiſſimi, ac venerabiliſſimi P. Petri Caniſij noſtræ Societatis lib. 2. de Virg. cap. 13. poſt medium aientis: *Mariæ Sponſus Joſeph, quoniam excellentiſsimis virtutibus abundavit, omnibus Ordinibus ad bene, beateque vivendum iure proponatur.* Probatur igitur faciendo brevem excurſum per aliquos ſtatus, & neceſſitates. Primo enim S. Joſeph eſt Patronus Prædicatorum verbi Dei, nam, vti diximus diſſ. 5. ſec. 2. concl. 3, portans Chriſtum in manibus, veniſſe verum Meſſiam facto annuntiavit, & verbo etiam pluries prædicavit Ægyptijs. Secundo eſt Patronus Religioſorum, qui in vita activa, & contemplativa Deo ſerviunt: exemplar enim fuit eorum in vtra-

que

que vita: in activa quidem; nam vt S. Ambr. in 1. Matth. ait: *indubitabile eſt, Joſeph fuiſſe Juſtum, & perfectum in omnibus operibus bonis*, laborando nimirum, vt Jeſum, & Mariam aleret: in contemplativa autem, quia vt in idem cap. Matth. SS. Hierony. & Chryſoſt. inquiunt: *Mos fuit S. Joſeph media nocte ad orandum ſurgere cum Beatiſsima Virgine: quod valde rationabile eſſe aſſeverabunt Deo ſervientes cum lætitia.* Et Izolanus 1. p. cap. 19. ait: *Religioſam quoque Joſephi converſationem fuiſſe, nemo ſanæ mantis veretur: Si enim Religio Deo offert cultum; religioſiſsima ergo fuit converſatio S. Joſeph, qui Chriſto Deo vero, dies, ac noctes ſerviebat.*

Tertio, Patronus eſt Magiſtrorum, pueros viam veritatis edocentium, quoniam ipſe fuit cuſtos, & Nutritor Pueri Jeſu. Quarto, Patronus eſt Virginum, & honeſtarum mulierum; pro indeque Joannes Echius hom. 1. de S. Joſeph, inquit: *Virgines, & Matronæ honeſtæ nominis ſui, & honoris integritatem Sancto debet Joſepho committere*, vt qui Puriſſimæ Virginis adeo pudicitiæ conſuluit. Quinto, Patronus eſt Orphanorum, Egentium, & puerorum auxilio carentium; ipſi enim ab Angelo dictum eſt Matth. 2: *Joſeph accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et ſicut Patriarcha Joſeph Fratribus ſuis egentibus alimenta donavit, ita S. Joſeph miſeris omnibus ſuccurrit. Sexto, S. Joſeph eſt Patronus agonizantium: vt manifeſtis conſtat exemplis, & cum ipſe ad caput in hora mortis ſuæ Jeſum habuerit, & Mariam, quibus in vita ſervivit, ita adſtat

ſtat etiam in ea hora ſibi in vita obſequentibus. Demum Patronus eſt conjugatorum, Iter agentium, Navigantium, & nihil eſt, quod eius Patrocinio à Deo non obtineatur; atque ita experta eſt S. Tereſia, ideoq́ue ait P. Cornelius ſup. 1. Matth.: *Beata Tereſia magna devotione colebat S Joſeph, eamdemque omnibus commendabat, aſſerens, ſe per interceſsionem S. Joſephi, multa, & magna, imo omnia, quæ habebat à Deo impetraſſe.*

Verum iam, O Sanctiſsime Joſeph, calamum meum ad Aras Templi tui, Tholosq́ue ſuſpendo. Quid enim de te amplius eloqui poterit homo elinguis, cum tibi fecerit adeo *magna, qui Potens eſt*? O quam magna! Quam mirabilia! Mira res! Vinculum Matrimonij Virginitate colligaſti, vt inaudito ad ea tempora exemplo vnum cogerentur in nodum, Maritus, & Virgo. Mira res! Tuis in manibus virga Jeſſea Maria effloruit: quid enim Virgineis in manibus, niſi flores naſcerentur? Mira res! Vxorem non cognoviſti, & natus eſt tibi Deus; neque enim aliter Pa-

ter Dei effici poteras, quam vxorem ignorando. Quam concinne, quam pulchre te iam pridem homilia 24. in Nativitate Domini, Antiſtes Hiponenſis alloquitur! *Gaude Joſeph, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti Virginalem affectum poſsidere conjugis; quia per meritum Virginitatis, ita ſeparatus es à concubitu Vxoris, vt Pater dicaris Salvatoris.* Mira res! Te bonum, ac fidelem Servum *Conſtituit Dominus, ſuper familiam ſuam,* vt à conditione ſervili ad caput, & Dominum Dominæ Cœlorum aſſurgeres. Mira res! Ille cui dictum ore prophetico quondam fuerat, *Cuſtos, quid de nocte? Cuſtos, quid de nocte?* Atque adeo nomen *Samaritanus* adeptus, in tuam ex vtero Matris cuſtodiam traductus eſt, vt ſic, vel ipſius eſſes Cuſtos Cuſtodis. Mira res! cum altiſsima nobilitate effulgeres, regijs clarus Natalibus, factus es Lignarius Faber; enim vero, quia

Filius tuus *regnaturus erat à ligno.* Mira res! Delapſus fuit è Cœlo Deus, vt quinque vulneribus vniverſum redimeret; & tu quinque ſiclis redemiſti Redemptorem. Mira res! Alter Joſeph nomen indeptus eſt *Salvatoris Mundi*, quoniam á veſana fame ſalvavit Ægyptum: tu in Ægyptum ab Herode fugiens, ipſum, & verum ſalvaſti Salvatorem. Mira res! *Magni concilij Angelus* Chriſtus eſt: & tu in terra fuiſti Præſes ſummi Regalis Concilij: tu dux cuſtodiæ Æterni Regis: tu Præfectus Menſæ Jeſu, & Mariæ: tu Regij Sacri Palatij Magiſter: tu Cherubin arcam operiens, & meliorem cuſtodiens Paradiſum, ſcilicet Puriſsimam Mariam: tu Regis, & Reginæ Cœli, ac terræ cubicularius: tu deferens ſemper clavem auream ad libere ingrediendum, & egrediendum. Quid igitur á te pro leviſsimis his obſequijs exigamus, niſi vt cœleſtis Curiæ Januas no-

nobis humilibus famulis, *ſedeſq́ue beatas* aperias? Aperies ſanè, nosq́ue ibi Mentes, ora, linguas, in elogia, laudesq́ue tuas felici æternitate ſolvemus?

FINIS.

INDEX
DISSERTATIONUM, ET SECTIONUM.

DIſſertatio I. *De Prædeſtinatione S. Joſephi.* Pag. 1.
Sectio I. *De ordine Prædeſtinationis S. Joſephi.* ibidem
Argumenta contraria. Pag. 9.
Sectio II. *De excellentia Dignitatis, ad quam Prædeſtinatus eſt S. Joſeph.* Pag. 16.
Argumenta contraria. Pag. 23.
Sectio III. *De Perfectione, & terminis Prædeſtinationis S. Joſeph.* Pag. 31.
Diſſertatio II. *De titulo, & nomine Patris S. Joſeph conceſſo reſpectu vnigeniti Filij Dei.* Pag. 39.
Sectio I. *An S. Joſeph verè, & propriè fuerit Maritus Sanctiſsimæ Virginis?* ibidem.
Argumenta contraria. Pag. 49.
Sectio. II. *Vtrum S. Joſeph Votum Virginitatis emiſerit? Et quomodo hoc cum vero Matrimonio potuerit ſtare?* Pag. 59.
Argumenta contraria. Pag. 67.

Se-

Sectio III. *An S. Joſeph, excepta generatione carnali, ſit, & in aliquo vero ſenſu propriè ſit* Pater *Domini Noſtri Jeſu Chriſti?* Pag. 76.

Sectio IV. *Vtrum ſi Chriſtus Dominus in alia providentia habiturus fuiſſet Patrem naturalẽ in terris, hic eſſet S. Joſeph?* Pag. 85.

Argumenta contraria. Pag. 90.

Diſſertatio III. *De ſubjectione Chriſti, Mariæ, & omnis creaturæ ad S. Joſeph.* Pag. 98.

Sectio I. *An Chriſtus Dominus, & Maria Deigenitrix ſubjecti fuerint S. Joſeph?* ibidem.

Argumenta contraria. Pag. 103.

Sectio II. *An omnis Creatura ſubjici debeat, & re ipſa ſubjecta ſit S. Joſeph?* Pag. 107.

Diſſertatio IV. *De Sanctitate B. Joſeph.* Pag. 113.

Sectio I. *Vtrum S. Joſeph fuerit Sanctificatus in Vtero Matris, & in Gratia confirmatus?* ibidem

Ar-

Argumenta contraria. Pag 120.
Sectio II. *An in S. Joſeph fuerit extinctus, aut ligatus peccati fomes?* Pag. 129.
Argumenta contraria. Pag. 133.
Sectio III. *Quanta fuerit Sanctitas B. Joſeph?* Pag. 140.
Argumenta contraria. 146.
Sectio IV. *Vtrum Sanctitas S. Joſeph tanta fuerit, vt nullum vnquam peccatum veniale admiſerit?* Pag. 156.
Argumenta contraria. Pag. 161.
Sectio V. *An S. Joſeph aliquam ſuſpicionem, aut dubium habuerit contra Beatiſsimæ Virginis puritatem?* Pag. 167.
Diſſertatio V. *De meritis, & Gloria S. Joſeph.* Pag. 179.
Sectio I. *Vtrum S. Joſeph meruerit de condigno, aut ſaltem de congruo Paternitatem Dei?* ibidem.
Sectio II. *De aſcenſu in cœlos, & eminenti Gloria S. Joſeph.* Pag. 185.

Diſ-

Diſſertatio VI. *De Nomine, Nobilitate, Adoratione, & Patrocinio S. Joſeph.* Pag. 192.

Sectio I. *De excellentia Nominis, & Regia Nobilitate S. Joſeph.* ibidem.

Argumenta contraria. Pag. 202.

Sectio II. *Qua adoratione adorandus ſit S. Joſeph? Et ad quæ ſe extendat eius Patrocinium?* Pag. 208.

O. S. C. S. M. E. C. A. R.

2241/320

